que diſcipuli; quippe vel in modeſtis movet faſtidium, velle impetrare honores per ſolum ambitum. Turpe quidem quòd interventiones ambitu quærantur in celſitudinem; ſicut decus, quod merita quæſita ſint ad honorem. *Cupiditas præcipitat* (ſubdit Stoicus, *Epiſt.* 15.) *Non cogitamus, quàm iucundum ſit, nihil poſcere: quàm magnificum, plenum eſſe, nec eſt fortuna pendere.*

Seneca.

14 Econtrà animus acri pruritu ambitionis, ſui lactator, & qui (ut canit Virgilius, 10. *Æneid.* v.627.

Virgil.

—— *Spes paſcit inanes.*

Zachar. 9. 12.

Gemit ſub ſe. Obmuteſcit & non aperit os ſuum. Meritò à ſacro Vate ambitioſi dicuntur *Vincti ſpei.* In futurum tendunt curæ, vivuntque ſine ulla rationis libertate; quin audeant bonum, bonum dicere, & malum, malum vocare; quia ſpe dignitatis vincti, at politicè ligati, adiguntur propter gratiæ labilis lubricum, dicere bonum malum, & malum, bonum. Huiuſmodi tabes cordis (canit Claudian. 1. in *Rufin.* v. 175.)

Vivunt ut irrationales, ſine uſu diſcretionis.

Claud.

—— —— *Maligno*
Stamine fatorum claram irrepſit in aulam:

Qua gloria miſta malis, & gaudia mœſtis. Unde Ovven.. 2. *Epigr.* 7. & 4. *Epigram.* 262. ſuccinit:

Ovven.

Quiſquis in ambigua ſe non accõmodat aulà
Omnibus ingenijs, non habet ingenium.
Non benè cõveniunt; neq̃ in una ſede morãtur
Momus vituperans omnia, Gnatho nihil.

Vincti ſanè ſpei, ſine ratione & arbitrio ſunt: ubi ſonitu folij volantis trepidus pectoris animus, turbatus & non locutus. In Hebræo æquivocum eſt *Spes*, cura cogitatus, & onus. Videſis Verſiones in *Pſ.* 54. 23. Non enim gravius homini pondus, & cura; quàm cogitatus pungens cum ſpe tremulà. A SS. PP. ut vidimus, vulnera ſignantur; ſed ambitioſi cum impatientia patiuntur: & grata cordi punctim & cæſim ulcera; quippe inſania voluntaria: continuus hinc inde motus, labor & dolor, & afflictio ſpiritus. Hanc occupationem peſſimam permiſit Deus filijs hominum in hac miſera vita, ut miſeriùs ob ſpem occuparentur in ea. Satius eſt ſemel cadere, quàm tota vità pendere. *Video animum à civilibus officijs abhorrentem, & ab omni ambitu averſum* (inquit Seneca Rhetor, Præfat. in lib. 2. *Controverſ.*) *hoc unum concupiſcentem; nihil ſcilicèt concupiſcere.* Ex honoribus cùm curæ ambitioſæ ſint, quæ avidiùs ſperantur timenda ſunt: etenim fucus conſpicuus, ſed fucus; & in fortunæ libertate ſervitus. Unde pompam volitantem cordatus ductu virtutis.

Anxietates ambitium.

Spei onus

M. Senec.

Et fragiles hominũ ſemper cõtemnit honores.

Ludovic. Big.

DIDASCALIA III.

Peſtes Reipublicæ, detractores rumigeruli.

1 SEntentia excerpta ex Hieronymo, *Epiſt.* 27. ubi: *Suſurrones, quod hominum genus pernitioſiſſimum eſt. Qui non amant, & quærentes occaſionem in peccatis, garriunt adverſus fratrem ſuum* (ſubdit, *Epiſt.* 51.) *& contra filium matris ſuæ ponunt ſcandalum. Scribis, neſcio quem de trivio, de compitis, de plateis, circunforaneum rumigerulum, verum tantum ad detrahendum; feſtucam nitatur eruere, pro iuſtitia & contra iuſtitiam diſputare. Liberatus eſt mundus à periculo; quòd hic forum negligens, ſe ad Eccleſiam tranſtulit. Quis, hoc volente, fuiſſet innoxius? Quem criminoſum non huius ſervaſſet oratio?* Ita panurgica circumventio, ab hominibus è trivio; quorum voces è compitis è plateis, ut mulceant aures, fictà in ludibrium famà, aut infamia; cùm ſint bipedum ardeliones & ludibria. Vulgò: *Traſtos, mequetrefes, avechuchos.* Ovid. 9. *Metamorph.* fab. 3. & 2. de *Art.* v. 128.

Hieron.

Officia delatorum.

—Fama loquax pervenit ad aures,
—Quæ veris addere falſa,
Gaudet; & à minimo ſua per mẽdacia creſcit.
Illa referre aliter ſæpe ſolebat idem.

Ovid.

Hoccine in gratiam & blandimen potentium, totum ſtudium ſuſurronum malignantium. *Confundantur* (ait Propheta) *confuſione*; qua numquàm viſa in ſuſurronum facie: igitur inflati, atque iactabundi habent pro gloria, quod ab omnibus reputatur ignominia.

Iſai.

Illorum impudentia.

2 Furiæ ab Ethnicis vocatæ *Canes*, quarum ornatus ſerpentes, & brachia plena penetrantibus flagris. Adi La-Zerd. in Virgil. 6. *Æneid.* v.257. ubi: *Viſæque canes ululare per umbram.* Perpropriè Diris conferuntur rumi-geruli: igitur in flagellum proximorum, per umbram ut canes tendunt in morſus; & adinſtar ſerpentium evomunt virus. *In ſolio Iovis aſsidere dictæ ſunt, ut peſtilentiæ ad dolendas nationes*: inquit Natal. à Comitib. 8. *Mytholog.* cap. 18. & Virgil. (ut præmiſimus, *Tautolog.* 2. n.18.) 12. *Æneid.* v.845.

Sunt canes, ſerpẽtes & furiæ potentum comites.

Dicuntur geminæ peſtes, cognomine Diræ.

Virgil.

Hæ Iovis ad ſolium, ſævique in limine Regis,
Apparent.

Primates dicuntur *Humani Ioves*; & dùm in ſolio, pro rumigerulis aſsident Furiæ; quia nonnumquàm ſuſurrones ſunt à Superiorum latere: qui ut captent aucupantes potentium gratias; ſine rubore illos impellunt in furias. *Suſurratio eſt ad ſeparationem amicitiæ, detractio verò ad denigrationem famæ* (ait D. Thomas, 2.2. *quæſt.* 74. *art.* 1.) *conveniunt in materia & forma, ſive in modo loquendi.* Qui optimus moribus; propter illos eſt acceptus, ac pravorum inimicus. Quandiù floruerit probitas, cadet ſuſurronum malignitas, conantium thronis potentatum aſsidere; ut aſſeſſores iuris valeant tamquàm circumſpecti excludi: in materiaque & forma detractoris ſimul & ſuſurronis fit convenientia; quippe ſuffecti præoccupant locum, in thronis fatuorum Principum: igitur diſrumpitur vinculum amicitiæ, fictà à malignis denigratione famæ. Sunt Furiæ ſervæ Iovis, & modò Plutonis Ditis. Quomodò mutata loca, ita ut quæ in cœlo, poſtremò aſsiſtant in barathro? Cogitavit Iupiter in illis habere gratias, & invenit virulentiſsimas furias; ſicut plures Principes fideles arbitrantur miniſtros, aliorum criminatores & rumigerulos: unde cùm huiuſmodi conſiliarij & aſſeſſores ſint reipublicæ peſtes; ne cœleſtem contaminarent thronnum, præcipitavit fulminibus in infernum. Moleſtum ſanè cordato atque pacifico Principi; in furorem ſerpentes trahere pendentes ab aure.

D. Th.

Diſcrimen ſuſurronis, & detrahentis.

Uterque à throno in infernum truſus.

3 Cùm è Meſopotamia Iacobus exul rediret in patriam, novam vel in ſervis inſtituit vivendi formam. *Convocatà omni domo ſua, ait: Abijcite Deos alienos, qui in medio veſtri ſunt.* Non plenam habet in uſu dominationem; qui ſervos, quoniam accepti, indulget vivere in conſcientiæ libertatem. *Dederunt ergo ei omnes Deos alienos, quos habebant, & inaures quæ erant in auribus eorum; & ille infodit ea ſubter terebinthum.* Cum Dijs tradiderunt etiam adorantium inaures, quoniam in illis ſimulacrorum effigies, quarum figura & dracones & ſerpentes. Late egimus, *Tom.* 3. *T.* 1. *à n.* 12. Unde Clem. Alexandrin. *Pædagog.* 2. cap. ult. infit: *Quæmadmodùm Evam ſerpens decepit, ita etiam alias mulieres mundus aureus, utens eſcà, ſerpentis figurà, in probra furioſè impellit, nempè murenulas quaſdam aureas, & ſerpentes ad decorem effingens.* Ergo inaures cum ſerpentium figuris, ut pax eſſet in domo ſuffodit ſub terebintho. Opprimimur cæco nodo. Si infodit, & à ſuis removit; in tota domo inaures idolorum habebat nullus. Unde igitur erant in illorum auribus? Dicat: *Quæ fuerant in auribus* ſerpentum ſimulacra: ceterum *quæ erant*, poſtquàm fuere ſuffoſſa? Utique. In articulo exprimitur effectus rumuſculi, in aure Principis, Iudicis, ac Præſidis fatui, ad vocem qualem qualem facilis corde; detractione delatoris in impoſturam, atque denigrantis famam. Has inaures (quæ ſerpentes) habent in ornatum dignitatis, qui ſuſpicioſi in directione regiminis. Explorant vocem, ut inveniant ex ſuſurro, aut murmure veritatem. Claret fallax atque mendax notitia, veritate ex examine inventa: repellitur delator, vox ſerpentis ex inaure ſepelitur: cognoſcitur dolus: & vox quæ in auribus fuerat, manet vellicans in auribus; quoniam maligni ſuſurro, ſerpentis veneno, ita ingeritur ſuſpicio; ut (veritate cognità, famà illæsà, ac falſificata voce) ſpecies ſemel audita nonnumquàm pendeat ab aure.

Gen. 35. 2.

Verſ. 4.

Clem. Alex.

Vox ſuſurronis ſemper pendet ab aure etiam, præmiſſa veritatis cognitione.

4 Semina in animo rumigerulus relinquit; & qui ſemel audivit, etiam audit, quod non audit. *Quemadmodùm* (infit Senec. *Epiſt.* 123.) *qui audierunt ſymphoniam, ferunt ſecum in auribus modulationem illam ac dulcedinem cantus, quæ cogitationes impedit, nec ad ſeria patitur intendi; ſic adulatorum, & prava laudantium ſermo, diutiùs hæret, quàm auditur. Nec facile eſt, animo dulcem ſonum excutere: proſequitur & durat, & ex intervallo recurrit.* Canit etiam Claudian. 1. in *Ruffin.* à v. 70.

Senec.

Suſurrus cur muſicæ ſimilis, & motui maris?

— Alitur rumor, ceu murmurat alti
Impacata quies pelagi, cùm flamine fracto
Durat adhuc, ſævitque tumor, dubiumque per æſtum
Laſſa recedentis fluitant veſtigia venti.

Claud.

Haud ſecus uſuvenit, quando delatores habent Principes (quorum ſerpentes inaures) in vocibus vage auditas, & in cordolium perfert quandoque curioſitas: quæ quidem harmoniam, alias cogitationes impedientes, conficiunt; vel dum ſepeliuntur, & ab aure removentur. Sicut pudor ſemel egreſſus, non redit in faciem; ſuſpicio ſemel ingreſſa, cordis numquàm egreditur limen. Unde venena ſimulacrorum ſerpentium (rumuſculorum imaginum, atque idola in aure Principum) quæ fuerant tamquàm inaures in aure, vel proiecta, in aure dicuntur eſſe; quippe in ſuſpicionem quamvis ſuffoſſa terris, pruritu vellicant aures. *Inaures, quæ erant in auribus eorum.*

Quò, niſi in auribus? Lobos aurium ſolummodò exornant. *Quæ in manibus erant*: legit & Maluenda, & Septuaginta. En Princeps curioſus, delatoribus addictus, pro alicuius denigratione famæ, vel iugulatione ſpecialis amicitiæ: etenim ne quieſcat præ curioſitate auditus; eiuſmodi inaures nonnumquàm habent præ manibus. Vernaculè: *Sus orejas curioſas ſiempre tienen à mano ſemejantes arracadas.* Inaures, in quibus ſerpentum effigies: & in auribus, ad dolum; quia ſerpentes ad aures ſemper deponunt venenum: minimèque eſſent in aure; ni priùs penderent atque ſederent in corde: aptè profectò dicuntur draconum ac ſerpentium ſimulacra; quoniam Principes curioſi, ſimulque maligni, adorant tamquàm idola: parvi, aut nihili pendunt dignitatis, atque honoris propudium, in regiminis ludibrium: etenim non honor, ſed pudor; quòd ſerpentes, dracones & huiuſmodi reptilia pendeant ab aure, quæ debent ſerpere, & propter virus ſuffodi.

Septua. *Ab auribus Principis ſemper pendent delatores.*

Cur dicuntur ſerpetes?

5 *Infodit ſubter terebinthum.* Maluend. *Tota familia locum ignorante; ut præſens malum tolleretur, & à futuro caveretur.* Iacent, qui ſerpentes ab auribus pendent; nec ſcitur ubi iacent; ut ſublato præſenti veneno inaurium, etiam curioſitatis removeatu periculum in futurum; igitur ita gratum malignitatis auribus huiuſmodi virus; ut ſerpentium ſemper memores, quamvis in terra oblivionis. Unde ſepulturæ Iacobus occulit locum; quippe maligni ſi cognoſcunt, exhumabunt; & adinſtar Heliogabali obſequio curioſitatis, hinc inde mittent quaſi per iocum ſerpentes.

Malué.

Idola regentium

Ovven.

Si non audires dicentem falſa, maligne,
Auderet falſum dicere nemo tibi.

Canit Ovven. *lib.* 1. *Epigram.* 109. etenim qui, ut Iacobus, domui conſulit, & paci providet, rumoreſque vitio vertit (ne ſerpentes per aures virulentè vagentur) quieſcere haud poteſt, donec pulſi ſepeliantur. Sibi caveat à vulneribus, quæ fiunt à blandis draconibus: qua de cauſa peſtiferi delatorum rumores, propriè dicuntur inaures: equidem earum ſerpentes priuſquàm alios lingua feriant, aures audientium perforant & vulnerant. Inaures & ſerpentes, qui in aures ſenſim ingrediuntur per voces; ad quas profectò obturandæ, ut ſint iudicio perfectæ: quandoquidem peſtis præſentior reipublicæ; quòd pendeant ab aure, qui pendere debent in ſtipite. Ita fulminat Plaut. *Pſeud.* Act. 1. ſcen. 5. v. 13. ubi:

Cur delationes, eorum dicuntur inaures?

Plaut.

Si meo arbitrio liceat, omnes
Pendeant geſtatores linguis.

Percuſſus erat à ſerpentibus ignitis populus Iſraël, ex quibus querebatur veneno compunctum cor. In vulnera nil auxilij? Eſt ſanè: ſerpentis ſimulacrum è ligno ſuſpendere: igitur ſerpens ſuſpenſus, icti populi erit ſalus. *Fecit Moyſes ſerpentem, & poſuit eum pro ſigno.* Signum ſalutis, quod venenum auris: etenim ſanata Reipublicæ vulnera, quam primùm è ligno fuerunt ſuſpenſa venena. In inauribus exponitur medicaminis forma.

N. 21. 9.

Uſus & auxilio eſt anguis ab angue dato.

Ovid 6. *Faſtor.* v. 734.

6 Floridè ſcitèque horum exercitia in *Heliogabalo*, deſcribit Ælius Lamprid. *Frat* (ait) *impoſtor, qui hoc familiaritatis nomine abutens, omnia Heliogabali dicta & facta venderet fumis, quàm maximè divitias enormes ſperans; cùm alijs minaretur, alijs polliceretur, omnes falleret: egredienſque ab illo, ſingulos adiret, dicens: De te hoc locutus ſum: de te hoc audivi: de te hoc futurum eſt; ut ſunt homines huiuſmodi; qui ſi admiſſi fuerint ad nimiam familiaritatem Principum; faman non ſolùm malorùm, ſed & bonorum vendunt; & qui ſtultitia vel innocentia hoc non perſpiciant; infami rumigeratione paſcuntur.* Minimè Princeps hos exoſos habebit, ſi horum virus ſua intereſt. Immittunt ſæpe in lites accuſatores, quarum futuri iudices: deficeret ſanè quæſtus, ni intercederent ſubdolè ex ſuſurronibus aſtus. Ovid. *Epiſt.* 12. v. 176.

Delatorum exercitia.

Lampr.

Quare lactant pravi iudices.

—— *Novos mores nova crimina fingit,*
—— *Iniuſtis auribus apta loqui.*

Sub Tiberio Cæſare (inquit Sen. 3. de *Benef.* cap. 26.) *fuit accuſandi frequens, & penè publica rabies, quæ omni civili bello graviùs togatam civitatem confecit. Excipiebantur ebriorum ſermo, & ſimplicitas iocantium. Nihil erat totum. Omnis ſæviendi placebat occaſio.* Ita tunc florebant veſtigatores. Tunc erant qui inimici verſutè iudices: & quæ ſubditis calamitas, dominanti tyrannicè quæſtuoſa utilitas. Declarat in eo, Suetonius, *cap.* 49. *Procedente mox tempore* (infit) *etiam ad rapinas convertit animum. Sat conſtat, Cn. Lentulum, cui cenſus maximus fuerat, metu & angore ad faſtidium vitæ ab eo actum; & ut ne quo, niſi ipſo hærede, moreretur.* Cauſam præſcribit Vates Evangelicus: *Non eſt, qui invocet iuſtitiam, nec eſt qui iudicet verè; ſed confidunt in nihilo & loquuntur vanitates.* Ideſt, quod calumniæ congruit, vel in buccam caſu venerit: quicquid obijcitur vanum eſt: & nihilum ſat; quia etſi iudicet in tribunali, non eſt qui iudicet verè: etenim

Senec.

Sueton.

If. 59. 4.

Maius periculum in iudice, quàm in delator.

nim expoſitum crimen cognoſcit vanum, atque profert iudicium ſecundum commodum; ſuſurriſque deferentes concinnant cauſam; quia iudex in iudicio renuit invocare iuſtitiam: non enim vana & falſa auderent publicè loqui; ſi ſcirent, impoſturas diſplicere iudici, cum ipſe foveat & avidè accuſationem, cognoſcens in embolio totum eſſe vanitatem.

Rumor rumores, errores parturit error;
Ut nivis exiguus creſcit eundo globus.
Quid de me dicunt homines, ſi ſæpe rogaret,
Quiſque malum ſcire ſe, meliorque foret.

Ovven. 4. Epigr. 241. & 243.

7 Hoccine videtur remedium, verùm tyrannis eſt toxicum: ſciunt ſe conſcientia ſtimulante, malè audire, & prorsùm in cunctis mancipantur ſuſpicioni. Dicit de præfato Tiberio, Cornel. Tacitus. *Callidum eius ingenium, ita anxium iudicium* (aſtruit, 1. *Annal.* cap. 80.) *neque enim eminentis virtutes ſectabatur & rursùm vitia oderat. Ex optimis periculum ſibi: a peſſimis dedecus publicum metuebat, hæſitatione protectus.*

Qui pravi, & ſuſpecti & ſuſpicioſi.

C. Tacit

Non illi grata quies, noctes vigilantur amaræ,
Nec tener in miſero pectore ſomnus adeſt.

Ovid. Epiſt. 12. v. 169.

Propter pectoris quietem, iubet N. Patriarcha è pectore nimiam expellere ſuſpicionem. *Non ſit* (Præſes) *turbulentus & anxius, non ſit nimius & obſtinatus, non ſit zelotypus, & nimis ſuſpicioſus; quia numquàm requieſcet.* Ita ex ſuſurronibus Præſidis error: accedit rumor, corque undique & ubique trepidat, unde nec debet cogitari timor. Rumuſculis agitatur vertigine, & ſeſe ſequens, attonitus fugit Panice. In ſacris *Lepus* lege haud admittebatur victima, licèt eius commendetur vigilantia; quippe quùm quieſcit, patulis palpebris dormit. Unde Martial. *lib.* 13. *Epigram.* 92.

S. Bened

Levit. 11. 6.

—— *Gloria prima lepus.*

Martial

Conditionem leporis ſequitur qui percellitur rumuſculis. Cubat, ſed quieſcendo evigilat; quia perſecutionem ſomniat. Quolibet murmure orrigit aures, quaſi ſonus totus eſſet fragoris, territus ſonitu folij volantis. Expergiſcitur, ſine pulſatione movetur. Fugit, nemine perſequente, perculſo ſubitò corde. Nihil videt, perturbatuſque recedit. Sine periculo periculum angit, & in eius effugium hinc inde currit, umbrà expaveſcit. Unde corſalium? E murmure: ducitur aure: iurèque extra ſacra ſine munere proijcitur, qui ex his quæ audit movetur & commovetur. Noſtrates: *Oye, ò le parece, y por eſſo ſe altera: expueſto en los cargos al deſayre, quien ſe altera, por lo que oye.*

Qui attendit ſuſurroni, ſimilis lepori

8 Iſthoc grave periculum Præſes, præut valet, fugiat; ne in anxietatem atque turbulentiam cadat. Audiat, verùm difficulter credat, licèt amicis; quippequàm intuitus ignoratur intentionis, & poteſt internæ malevolentiæ afferre fucum, quod videtur ſplendere quaſi eſſet aurum. Videſis optima, in propoſitum proficua, apud Scriban. in *Medico Religioſ.* lib. 3. à cap. 46. De Attalò, lib. 36. *Hiſtor.* Iuſtin. inquit: *Poſt ſceleſtam violentiæ rabiem, noxia innoxijs permiſcebat: eaque omnia veneni ſucco infecta, velut peculiare munus, amicis mittebat.* Unuſquiſque ſe à proximo ſuo cuſtodiat, & in omni fratre ſuo fiduciam non habeat; quia omnis amicus fraudulenter incedit, & lætà facie deridet: igitur tempore apparet læthale toxicum; quod gratanter accipitur ut benevolentiæ xenium. *Thebiorum natio peſtifera adeò fuit, ut vel ſolus oris eorum halitus exceptus, vim interimendi habuerit*: ait Pier. Valer. *lib.* 14. *cap.* 11. Venena & illorum modum mutuarunt à Baſiliſco, qui occidunt dumtaxàt flatu.

Iuſtin.

Quę rumuſculi obſequia, patet perfidia.

Pier. Valer.

Ante venena nocens.

Lucan.

Accinit Lucan. 9. *Pharſal.* v. 725. Primùm flatus, pòſtque virus in ſuffocationem honoris & innocentis; quippe in eo præparavit vaſa mortis: & quod nihili pendet, morte patet. Poſt damnum cognoſcitur lues.

Quę à delatore audita ſæpe venena. Ibib v. 775.

Quicquid homo eſt, aperit peſtis.

Aſtipulatur in cautionem Tacitus, eò quòd (quia falſus rumor) ubi ab errore reſipiſcit pectus, immedicabile vulnus; igitur prævaluerunt & virus & flatus. *Non ex rumore ſtatuendum*: ſubdit 3. *Annal.* cap. 69. Erunt voces & voces, ac colorate ſpectra malignitatis: telumque infigitur pectori, nimiùm crediddiſſe colori: igitur poſt plagam ingeſtam, ſtultiſsimum & turpiſsimum verbum. *Non putabam.* Ita Seneca, 2. de *Ira*, cap. 31. Non eſt locus pœnitentiæ, quia factum, eſtò factum ex errore: nec erroris prætermittenda excuſatio; quoniam factum, quod factum ſine intentione ex abrupto. *Tu bono animo* (ait Hieronym. 1. in *Ruffin.*) *& homo innocens & amicus fideliſſimus, de cuius numquàm egreſſum eſt ore mendacium, me neſcius vulneraris. Quid ad me, qui percuſſus ſum? Confoſſus iaceo. Num iccircò curari non debeo, quia tu bono animo vulneraſti?* Quærenda eſt & quàm primùm ulceri medicina; quippe ferè in huiuſmodi articulo eſt ignorantia affectata, & in vulnus ſtudioſa turbulentia.

Tacit.

Non ex rumore iudicia.

Senec.

Hieron.

Affectatur ignorantia, ne doleat vulneribus innocentiæ.

9 *Quædam enim falſa veri ſpeciem gerunt. Dandum ſemper eſt tempus. Veritatem dies aperit. Ne ſint aures criminantibus faci-*

ciles. Hoc humanæ naturæ vitium ſuſpectum, notumque nobis ſit; quòd quæ inviti audimus, libenter credimus; & antequàm iudicemus, iraſcimur. Ibid. Stoicus, *cap.* 22. & 29. addit: *Eſt ſuſpicax, qui ſpectare ludos cupiat, ut ex longinquo tutòque ſpeculetur, quos alliſit; de parvula ſumma iudicaturus. Amicum condemnas de præſentibus, antequàm audias, antequàm interroges? Illi, antequam aut accuſatorem ſuum noſſe liceat, aut crimen iraſceris?* Efformatur cauſa ſine cauſa, fitque à potente iudicium ſine prudentia. Diffamatus eſt villicus apud dominum quaſi diſsipaſſet bona ipſius. Herus audivit, verùm illicò non credidit. Aliquando oportet audire, & audita non attendere. Siſtitur iudici Domino mulier quæ deprehenſa in adulterio. At Chriſtus auditâ causâ quaſi aliud agens *ſcribebat in terra.* Cognoſcebat ad litigium malitiam ingenitam accuſantium, & irridet crimen ab illis obiectum: equidem cùm animus ſit malignus, nec attendendum etiam vera dicentibus. Aliò quaſi intentus, innuit non placere cauſam, ut removeret actorum audaciam & turbulentiam: etenim ſæpe fateſcit, vel ſuſpenditur litigium, ſi iudex avertit vultum. Apud Noſtrates: *Cortanſe los chiſmes de delatores malſines; ſi el que juzga no hace buen roſtro à las acuſaciones.* Quid malignitas non ageret, ſi iudicanti placeret? Tunc in illorum ore, Æoli ſiſterent atque ſuflarent pilæ.

Senec.

Ex auditis iudicia, cum errore & imprudētia.

Luc. 16. 1.

Ioann. 8. 6.

Litigia delatorū ſuffocantur, ſi à iudice deſpiciuntur

10 Earum effectus videmus paſsim: & quæ olim *Pilæ Æoli*, his temporibus nominantur *Cucurbitæ*; inſtrumentum aptiſsimum; in accenſionem carbonum deſcribitur à Pier. Valer. quò dudùm, *cap.* 14. *Qui Æolipilas cavant* (inquit) *ſolent in convexo Draconem ſuperinducere, ex cuius ore fiſtula promineat; quæ ventum proflet. Sunt verò pilæ huiuſmodi æreæ, cavæque, in quas per anguſtiſsimum punctum humore inſtillato, ubi ad ignem admotæ concaleſcere cœperint, & effervèſcere; ſpiritum vehementem admodum efflant. Humor ſiquidem caloris vi rarefactus, magnam aeris copiam generat, cuius cùm minimè capax ſit ea concavitas; vehementi impetu cogitur erumpere: cui ſi tantillum argenti vivi infundatur; ex diſcordia, quam materia hæc habet cum calore, inquieta magis aqua vehementiùs expirat.* Inſtrumenta flaminis adæquatè ſunt ſymbola ſuſurronis: igitur quicquid interiùs continet concavum, ad excitandum ignem mutat in ventum. Ut in illos furorem accendat, honoratos denigrat. Quotquot tetigerit labijs cadent ſuper eos carbones, & vehementi, pòſtque vehementiore flatu, etiam carbones ſuccenſi ſunt ab eo: quandoquidem ut evaneſcat auctoritas, nil reſpirat niſi in flammas.

Quæ & quales Æoli pilæ

Pier. Valer.

Cur his ſimiles ſuſurrones

Mittitur ardenti ſonus, cùm provolat ictu.
Tantus diſcidio flatus ventique procella:
Confluere ex ipſo poſſunt elementa vaporis.

Lucret.

Succinit Lucret. 6. de *Rer. natur.* à v. 291. & in articulum Seneca, *Epiſt.* 123. *Adeò claudendæ ſunt aures malis vocibus, & quidem primis: nam cùm initium fecerunt, admiſſæque ſunt, plus audent.* Augetur paulatim flamen, & denigratum conſumit honorem, reflans vehementiùs, donec reducat in cinerem. Haud diſtortè in pilæ convexo ſuperinducitur draco: equidem quod hic obtinet veneno, malignus delatione conficit flatu: quo ad optimorum meditatam ſtragem, calumnia format draconem. Vipera transfundit paſta venenum. Caveſis eſcæ periculum; ut monet Camerar. *Centur.* 4. Emblem. 94.

Senec.

Quò plùs delator fovetur, plus in furorem inflatur.

Vipereum exugit veſparum turba venenum:
Tu fuge, ne noceant hauſta venena tibi.

Ioach. Camer.

11 Sufflamen pilæ oritur ex calore. Priùs concipit, pòſt evomit, & in vehementiorem motum, ſi acceſſerit hydrargyrum. Aliquid in motum delatoris ſuſpicandum: non enim tremulus adverſus alios ignem ac focum ſufflaret, ni prius internè igne concepto excanduiſſet: quo perſiſtit in ſufflamen contentioſè putri pectoris pravitas; quantumvis vel tacta palàm innoteſcat veritas. Huic accidit, dum profertur corde virulenta vox, quod myſterioſè in articulo Iſaac. Embolium confictum ab uxore, ut deciperetur ſenex; quod nactum arte. Perſonatus Iacob acceſsit, pater audivit: ut verum experiretur, tetigit; quippe orbus lumine, ut liberaretur ab errore. Hæſitabat ratio ex duplici extremo. Unde dixit: *Vox quidem vox Iacob eſt; ſed manus, manus ſunt Eſau.* Fucus prævaluit, mendaciumque in perſonato vicit. In erroris excuſationem erat, quòd videre non poterat. Cognovit errorem, poſtquàm non quibat revocare fraudem: quod quidem factum in tripulatione muneris, ab eo qui carebat oculis: cum ut evigilaret mens, contrarium dicebat publica vox. Eſt in malignantis conamine cæcitas rationis, quod in Iſaaco defectus corporei luminis. Inſtruit embolium, molitur commentum. Totum cognoſcit falſum; ſed fovetur. In exterminium famæ alterius ſtimulatur: & ita protervè (ne cognoſcatur error in errore) quòd ſtet pro mendacio, ut veritate: igitur voce infeliciter ducitur, quamvis mendacium tangatur.

Intus cōtinens flammā, ſufflat verſus innocentiā.

Geneſ. 27. 22.

Proterrè pro voce audita ſta pravitas, quantumvis tangatur veritas.

Soli-

Solicitat in rumore proculdubiò, honoris diffamationem, & nequaquàm veritatis integritatem: de quo ex profeſſo *Tautolog. ſequent. Didaſcal.* 2.

12 Haud ſum oblitus diffamationis Villici, atque herilis prudentiæ. Ille, ut vidimus, *n.* 9. laborabat infamia; quaſi huius dilapidaſſet bona. At cúm ſæpe mendacia in denunciatione ſint; *vocavit illum; & ait illi: Quid hoc audio de te?* Dic, quid ſit? *Redde rationem.* Illum vocavit. Conſultò, pro iudicio perfecto: equidem ex abrupto procederet, modò à munere deponeret; quin diffamatum audiret. Reddat ergo de creditis eius fidei rationem; ut conſtet vel evaneſcat è denunciatione crimen: igitur cauſa iurè decidenda ex actis; nequaquàm, ab hero auditis: poterant eſſe voces malignantium, livore in inſidias perculſorum: & in cauſa perfuncti muneris; non ius, ſalvare, aut damnare per voces. Cedet profectò in dehonorati laudem, ſi capitibus cauſæ rationem aptè & exactè reddiderit. Videantur quæ geſsit; ut in illum ſententia fulminetur, & veritas inveniatur: etenim ſi non evacuat diſpendium; heri prementis rectum conſtabit iudicium. Si damnaverit, damnabit per quæ invenit, & nequaquàm per quæ audivit. Multa enim ficta malevolè audiuntur, dicta tantùm ut audiantur (an iraſcatur potens, an pereat innocens) & per vocem à malignitate intruſam, candidam denigrent famam. Hac de cauſa ad reddendam rationem vocavit villicum. Illum ab officio removere per audita, videbatur temerarium. Conſervare, cùm malè audiret, periculoſum: & ne cederet diſcrimini, nec derogaret famæ; audit, ſed rationem expoſcit: quandoquidem explorabit veritatem, dum procedit in cauſa iuxta rationem. *Renunciate Ioanni, quæ audiſtis & vidiſtis.* Utrumque, in comprobationem veritatis: etenim illius fidem non aſtruunt dumtaxat voces. *Vocavit illum.* Latet in periodo inſigne documentum, ne inter amicos ſit ex querelis ſcandalum; unde fomes delatorum bilinguium. Offenſus erat à Villico, cúm per illum ſubſtantiæ creditæ palàm audiretur deſtructio; & illum vocat, ut rationem reddat, an ſatisfaciat: urbanèque in articulo procedit; dum dicit facie ad faciem de quo dolet. Hiſpan. *Procede aunque offendido, corteſano; diciendo cara à cara un ſentimiento.*

Luc. 16. 1.

Verſ. 2.

Qui diffamatus auditus

Et iudicandus iuxta rationē, & non per vulgatū crimen.

Matth. 11. 4.

Amicum inviſum in gratiā redit; ſi dixerit offenſus, de quo dolet.

13 Ex mutuis inimicitijs oritur ad ſuſurrones ocaſio malignitatis: ut vel inter fratres ſeminent diſcordias & illis cedat cogitata utilitas; ſicut Senec. *Epiſt.* 27. dicit de Setellio *Suaſit* (ait) *ſtultorum divitum arroſor, & quod ſequitur, arriſor: & quod duobus his adiunctum eſt, deriſor.* In ſcopum bilinguium (Nos *Malſines*) ſunt apologi ſcituli, apud Cyrill. *lib.* 2. *cap.* 30. in *Speculo Sapient.* Phrædrum in *Mythis*, de Fele, apro & aquila; denique apud Feſtum Avian, in *Fabul.* quos videris. Utrique parti malignus accedit, plaudit & applaudit; tradit, attrahit & detrahit; quipe illum fugium commoda; ni in piſcationem meditatam ſit àqua turbida.

Senec.

Maligni ſcopus, ex contētione quæ ſiut.

Quieta cùm ſint ſtagna venatur nihil.
At cœnum ubi, captura magna eſt.

Ariſtop.

Gliſcit iurgium, graſſatur odium: quod totum evaneſcit, ſi unuſquiſque mutuò dicat ingratiam, de quo dolet: cognitis non offenſis, ubi iniuriarum colores; inſtructis technis, offucijs, & effanijs, per aſtum delatoris malignantis. Contigit duobus fratribus, oſtraciſsimo Athenis mutuò ſolicitato peſsimi bilinguis callido dolo: qui quidem ſubijt meritò pœnam; quia fratres cognito errore ſunt reconciliati in gratiam. Adi Petr. Hiſpalenſ. *Hiſtor. var. lection.* Idem intendit alius verſipellis in vafritiem, ut amicitiam extingueret inter Caſtorem & Pollucem. Quo intuitu Achill. Bocch. *Symbol.* 101. ſuccinit:

Per ſuſurrones diſcordiā, ille excitata.

Inter geminellum Caſtorem, atque Caſtoris
Gemellium, iniquus tetricas
Eutymnus artibus ſerere lites malis
Agreſſus, ut committeret
Utrumque; iuſtas poſtmodùm pœnas dedit,
Cùm fortè uterque in gratiam
Rediſſet, ut ſit agnita calumnia.

Achil. Bocch.

14 Sunt enim ſpongiæ: quocumquè vomunt, quod ſugunt: & ubi rubus habuerit locum, ſpinarum pungentium figit aculeum. Multoties in auctorem retorquentur tela, & configitur ſpina: & qui tricis, ut Amam, turbare conatur pacem, pro ſuſurri malitia patitur crucem. Convertitur dolor eius in caput eius, & in verticem ipſius iniquitas eius deſcendit. Unde Plaut. in *Milit.* Act. 3. ſcen. 1. verſ. 12. inquit:

Ubi delatores, ſemper acerbitates.

Eſth. 7. 10.

Quæ voluiſti facere, faciunt tibi.

Neſciunt malignantes laterones eſſe audientibus multoties cordolium, quod ſuggerunt uti obſequium: ſtomachoque inferre acerbam amaritudinem; quam ore promunt dulcedinem: quin pœna reſipiſcant, modò vel audientes manibus aut riſu plaudant. Dicit noſtra Tautologia: *Confundantur confuſione*, quæ numquàm viſa in ſuſurronum facie: etenim iactabundè, ſed ſtolidè, habent pro gloria, quæ à cordatis re-

Iſai. 42. 17.

Sunt ſine pudore.

reputatur ignominia. Frequenter eiuſmodi virus fovetur à Superioribus: cùm potiùs illorum conciliaret honorem, non plus ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem, relegando è cubiculis huiuſmodi reipublicæ peſtem.

Horat.

Nec ſcire fas eſt, omnia:

Ut ait Lyricus, lib. 4. *Carmin.* Od. 4. v. 22. Felix ergo erit Princeps, felicemque conſtituet regimigis ſtatum; modò præcludat draconibus oſtium: etenim ut accinit Claudian. 2. de *Laud. Stilicon.* à verſ. 295.

Claudiã

Opprobrijs ſtat nulla fides: nec littera venit
Vulgatura nefas: in quo vel maxima virtus.

DIDASCALIA IV.

Si Hypocritæ compeſcuntur, in deteriora inſoleſcunt.

1 TOta hypocritarum vita, uti verſatillis & vertibilis ſcena, veteratorum embolium: habent gloriam, ſed non apud Deum: quippe dum ſpecie tantùm eius veneratio inquiritur; Deus nequaquàm irridetur. *Abominabiles facti ſunt in ſtudijs ſuis*: etenim rutilant virtutum ſpecies; nudatæ fuco patent abominationes: & quæ videntur apparentis ſanctitatis encomia, inveniuntur non virtutis, ſed vanitatis ſtudia. *Sunt ſpecula, quæ multiplicant omne corpus, quod imitantur. Neque enim omnia ad verum reſpondent: ſunt quæ videre extimeſcas: tantà deformitate corruptam faciem viſentium reddunt, ſervatà ſimilitudine in peius. Sunt, quæ cum videris, placere tibi poſſunt*: ait Stoicus, lib. 1. *Natur. qq.* cap. 5. & 6. Hæccine ſpecula efformantur ab hypocritis, artificioſis & panurgicis ſtudijs. Quæquæ obiecta ſplendori, multiplicant: fœda pulcherrima repreſentant; ſed hypocritis, non alijs: quandoquidem quæ illis videntibus obijciuntur ſpecioſè venuſta; aſpicientibus rectè, horribilia apparent monſtra; ingerentia ut ſpectra terrorem atque formidinem; propter morum pictorum deformitatem: cum illi & ſeducti & ſeductores ob inamen futilitatis gloriam, in figuram dumtaxàt intendant & apparentiam. Iocatur Martialis, *lib.* 10. *Epigram.* 83.

Pſal. 13. 1.

In hypocritis virtutis forma ſunt vanitatis ſtudia.

Senec.

Quæ illorum ſpecula?

——— Caputque nudum
Cirris grandibus hinc inde cingunt.
Calvo turpius eſt nihil comato.

Martial

2 Nuditas virtutum caput incapillatum deformat, verùm ornatum haud ſimulat. Calvus cum capillitio floret aſcititio ornatu & exponitur vento: augetque capitis deformitatem; quippe ſimulare intendit quam cognoſcit turpitudinem. Præ ſe fertur hypocritæ ſcena, ubi exhibetur oculis, qua caret, coma. Si capillus typus eſt cogitationum, in perfectionem virtutum; facies ſervata ſimilitudine in peius: etenim in calvo hypocrita ad virtutem neque pilus. Tota machina in ſanctitatem, quoad ſpeciem; extrinſecum ornatum & colorem: calvoque comato conferuntur iurè hypocritæ operationes, ex apparatu ſcenicæ perſonatæ virtutis; quoniam ſicut in capite calvi capillis nudo, ad virtutem in virtutis ſtudijs nec cogitatio: quin fronte perfrictà afficiantur pudore; quamvis comprehendantur turpiter in ipſa deformitate. Votum eſt Vatis Evangelici. *Confundantur* (dicit) *confunſione.* Virtutum ſimulatores confuſione profectò non ſunt confuſi. Erubeſcere neſciunt apertà ſcenà at embolia; etſi comprehendantur in ſuperbia ſua: igitur virtutis apparentis vanitatem, oſtentant illudentes & illuſi precioſiſsimam virtutem. Hiſtriones & Mimici vocantur hypocritæ (videſis Sueton. in *Neron.* cap. 24. & Vives in 2. *Civitat. Dei* cap. 10.) econtrà ſatius; ſi hypocritæ dicerentur hiſtriones & Mimici: etenim illorum varijs ſtudijs conamen, ut videantur & non ſit; totum in ludicram vanam repræſentationem. *Non velle dici Sanctum, antequàm ſit; ſed priùs eſſe, eſſe, ut veriùs dicatur*: commendat ſuis Monachorum Pater & Dux Benedictus, *Regul. Sanct.* cap. 4. Hypocritæ virtutum falſi teſtes, verſipelles, impoſtores, ut continuetur ſtropha; ponunt & *ſua ſigna ſigna*: igitur illorum ſtudium non in ſanctitatem, ſed inſanctitatis ſignum: ſatagentium ſanctos non eſſe, ſed dici; ut tutiùs ſine ullo periculo valeant fallere. Hoc hiſtrionum horum vel in templis propoſitum; illud convertentium in proſcenium; ut carpit Horat. 1. Epiſt. 16. à v. 60.

Virtutis ſolidæ nec ulla cogitatio.

Iſai. 45. 17.

Sunt hiſtriones.

S. Benedict.

Pſal. 73. 3.

Nolunt bonos eſſe ſed videri.

Labra movet, metuens audiri: Pulchra Laberna,
Da mihi fallere: da iuſto ſanctoque videri.
Noctem peccatis & fraudibus objice nubem,
Si ſpes fallendi, miſcebit ſacra profanis.

Horat.

3 Deſcribit Gilibert. in *Gantit.* ſerm. 42. n. 6. *Non tam ambulant, quàm volitant* (infit) *in magnis & mirabilibus ſuper ſe, ſuperbà elatione penduli & vagi in aere. Ambitioſà quidem negotiatione perambulant in tenebris; de religione lucrum venantes, ſpiritualem ſe ſimulantes habere doctrinam, fluidum ſtudium, & inſtar roris eloquium incerta & occulta noſſe myſteria ſapientiæ Dei, ſanctitatis tenere caput & culmen.* Fallere intendunt, & ſe miſerrime fallunt; quoniam videri volunt, quod non ſunt; & ſunt, quod nolun videri, filij diaboli ſub ſanctitatis nomine. Paulus & Barnabas Cyprum proficiſcentes, ut radios ſpargerent orientis Evangelicæ lucis; *Invenerant quendam virum magnum, pſeudophetam, Iudæum, cui nomen erat Bar Ieſu*: qui quidem etiam vocabatur *Elymas*: ideſt, impoſtor, præſtigiator, fatuorum per ſigna ſtupor; qui pro mirabilium fallacium commendatione, animam ac ſpiritum dicebat habere Eliæ. Videſis Lorin. Sanctium, Alapid. Vatab. & Ariam Montan. hic. Propter honores, quæſtus ac auram popularem; prior illis acceſſerat ad Proconſulem: qui uti prudens cupiebat veritatem audire ex Apoſtolorum ore: Elymaſque timuit cognoſci eſſe ex præſtigijs ſeductorem; modò audiret Proconſul veritatem. Unde totis viribus reſtitit: Paulus ductus zelo ægerrimè tulit; quapropter fulminans, illum intuens, dixit: *O plene omni doli & omni fallacià, fili diaboli, inimice omnis iuſtitiæ; non deſinis ſubvertere vias Domini rectas?*

Gilibert *Deſcriptio ſtudiorum eorum.*

Act. 13. 6. & 8

Verſ. 10

4 Hoc theatrum, ſiparium apertum, cuius ſcenæ erit ſymbolum? Hypocritarum, qui plauduntur ſanctuli ſanctitatis ſpecie. Solicitant plauſum, amicitiam potentum falſitate virtutum: ambientes, fatuos ſeducere ex ſplendore apparente; quo illorum gliſcit utilitàs per vanitates & inſanias falſas. Pende. *Bar-Ieſu* Ionat Ieſu filium: *Elymas* Magnum, mancipatum poteſtati dæmonum: quod ſanè hypocritarum methodus; ut ſeducatur colore virtutis populus: igitur exterius ſonat nomen Ieſu Salvatoris, & cor illorum latet domicilium dæmonis. Magni habentur, ubi non cognoſcuntur fingentes arte diaboli miracula, ut ſubvertatur veritatis ſemita. Oritur operationibus plauſus, ſed totum fallacia & dolus; quoniam qui iudicabatur Ieſu nomine ſignis mirabilibus rutilare, invenitur filius diaboli, inito pacto cum dæmone: ſiquidem ſtudioſi legis vident offendiculum & obicem; quam hypocrita ſignabat perfectionis rectitudinem. *Sub nominibus pietatis, ſuſpecta conſortia* (infit Hieronym. *Epiſt.* 4.) *Videas nonnullos accinctis renibus, pulla tunicà, barba prolixà, à mulieribus non poſſe diſcedere, ſub eodem manere tecto, ſimul inire convivia, Tum nugas meras fundere, & adverſus ſingulos declamare. Nec mirum, ſi qui multos ineſcare ſolebat, facto cuneo circumſtrepentium garrulorum procedat in publicum intus Nerò, foris Cato, totus ambiguus, ut ex contrarijs diverſiſque naturis, unum monſtrum novamque beſtiam diceres eſſe compactam; iuxta illud Poeticum:*

Filij diaboli ſub bono nomine.

Hieronym.

Exertitia & intuitus.

Prima leo, poſtrema draco, media ipſa
Chimæra.

Homer. 6. Illiad. v. 181.

Neſciunt dæmonum pugnantium contra ſe portenta confingere; ut apud imperitos & vulgi homines, miraculum ſui faciant, & exinde lucra ſectentur. Seſe oſtendunt Bar-Ieſu, cùm filij diaboli ſint; ſatagentes honorum, artificio præſtigiarum, ambientes cenſus, prurientes auribus, allucinatis oculis, fictis portentis; ob ſpeciem ſanctitatis: igitur quodlibet verbum illorum plauditur ab ſtolidis tamquam de cœlo delapſum; quando illorum vaticinia ex converſatione dæmonum.

5 Paulus zelo veritatis ob exilium ſeductionis, mirantibus oſtendit perniciosè doloſum, quem colebant quaſi ſanctum. Unde, illi bile commota dixit: *Nunc ecce manus Domini ſuper te, & eris cæcus, non videns Solem uſque ad tempus.* Claret manus Domini ex ſupplicio medicamine: etenim datur peccatoribus afflictionis labor, quouſque cognoſcatur error. Redditur hypocrita luce orbus, lumine caſſus, ut per tenebras corporis, cæcitatem reſipiſcens videret mentis: etenim dum ſpecioſo titulo, ſed fallaci, nomen queritur, ſed non ſanctitas; eſt mentis errantis tenebricoſa cæcitas: congnoſcunt ſeducti latitantem dolum; & univerſa portenta convertuntur in ludibrium: quinimò perit dedecorata vera virtus, ubi nudatur hypocritæ veteratoris aſtus: equidem cum invenerint pictam coloratam aliquando virtutem; in religioſis ſtudijs arbitrantur univerſi hypocritam ſanctitatem. *Uſque ad tempus.* Expectavis Paulus, quòd Elymas vafer aperiret oculos, & veritatis cognoſceret lucem; qui obcæcare cupiebat falſo fulgore Proconſulem: iurè ab illo deſpectus & nihili ductus; ſiquidem quod viſum atque plauſum ut miraculum, coram vera ſanctitate erat dæmonis embolium. *Uſque ad tempus.* Inquirun AA. præfati, an Elymas fugerit è Cypro viſo miraculo, lumine oculorum obſcurato & reſtituto? Areopogita de *Divin. nominib.* cap. 8. aſſerit fugam, non valentis tolerare ignominiam ex cæcitate miraculoſa contractam: quæ conditio ferè hypocritæ, ut alios ſeducat alibi: igitur ex oculis evaneſcit & non apparet, ubi eius præſtigias,

Verſ. 11 *Deus plectit ut ſanet.*

Hypocritæ dantur ludibrio, illorum cognito dolo.

Cupiunt figuari inſignes, dein impoſtores.

gias, fraudeſque agnoſci, cognoſcit: non enim placet indigitari impoſtores; ſed impoſturis, colore ſanctitatis, viros inſignes.

6 Alij, viſo portento, & coram Paulo, credunt permanſiſſe in Cypro; ſed addictum ſuperſtitionis arti, & vanitatis ſtudijs.

Non reſipiſcunt etiã pœnis, nec miraculis.

Hypocritæ nec convertuntur miraculis. Ibi manet, ubi præ rumore & rubore ut præſtigiator debebat confundi? Hypocritæ minimè confunduntur confuſione, fronte procaciter apertà, etiam cognità fallacià; ut ſtudeant in maiora, è cerebro commentitia: fingentes modò ex virtute, quod pridem factum ex dæmonis arte, mentita reſipiſcentià; ut ſanctitate larvatà, vigeat fucorum atque tricarum ſcena: fiatque noviſsimus error peior priore; dicentibus ſe etiam viſionem Angelorum vidiſſe. *Alba, ſed frigida nix*: dicit de illis Petr. Damiani, lib. *6. Epiſt.* 32.

Petr. Dam.

Similes quare ni vi?

Haud cognoſcitur radix frigiditatis, ſpecie aſſumptà candoris: verùm ſub candore qui creduli pœnas luent; quippequàm vel ipſo fulgore nocent. *Paſtinaca latrocinatur ex occulto* (inquit Plin. *lib. 9. cap.* 42. *&* 48. quem ſequitur Rabiſ. Text. in *Officin.* lib. 7. cap. 41. *tranſeuntes radio, quod telum eſt ei, figens*:: *Nullum uſquàm execrabilius, quàm raditus ſuper caudam eminens. Aculeo ſe tuetur & ictus incurabilis in lethum*: ſubdit Ælian. *Hiſtor. Animal.* lib. 2. cap. 50. & 9. cap. 40.

Plin.

Paſtinacæ?

Ælian.

Elucet ſimulatæ ſanctitatis occultum virus: telum eſt, qui fulget radius, ex quo immedicabile vulnus: huiuſque in corde debent eſſe cautiones, ubi ſpiculo latente figit etiam tranſeuntes. *Bis malus, qui malus ſub ſpecie boni. Sanctitatis velo ſæpe flagitia latent. Bonitatis umbram referre, nil refert, quia fertur umbra*: inquit Novarin. *Umbr. Virgin.* cap. 20. excurſ. 102. n. 893. & 926.

Novarin.

Qui videtur doctrinæ radius, lethalis vulnus, & virus.

Cavere debemus, quippe in fulgore ſigna noſtra non vidimus. Si lux tenebræ ſunt, ipſæ tenebræ quantæ erunt? Aſcititio fulgore, maiores cadunt de montibus umbræ: quandoquidem nihil execrabilius, quàm vafrum pectus; quo ſicut lethali telo percutiuntur virtutes, picti, mendacis ſpecimine ſplendoris: radijs ſubdolè obcæcantis vigiles oculos; ne percutiendi valeant effugere vulnus. Dicam ex Lucano, 9. *Pharſal.* à v. 766.

Parva modò ſerpens, ſed qua nõ ulla cruentæ
Tantum mortis habet.
Iamque ſinu laxo, nudum eſt ſine corpore
vulnus.

Lucan.

Ad unguem hypocritæ imitantur paſtinacam, in fulgore ingerentes fulgoris umbram; igitur patente falſi luminis radio corda latrocinanãtur verſipelles in occulto

7 De paſtinaca refert Picinell. *6. Mund. Symbol.* 173. quod *proijciat captiva venenum.* Aliter hyprocrita: in quod non valet radio, valet aculeo. Illo defenditur, quamvis in dolo capiatur, univerſos ſuffocare volens, qui piſcatores & expiſcatores deprehenſæ ſimulatæ ſanctitatis: ne (quam per dolum, colores & fraudem) amittat apud ſtolidos furtivam æſtimationem; fiatque propudium, quod in cœlum elatum tamquàm virtutis portentum. Capitur, ſed ſunt illi mille nocendi artes, ut demonſtret virtutes ipſos errores. Audiamus Paulum.

Picinel.

Errores plauduntur virtutes.

Nemo vos ſeducat (alloquitur Coloſſenſes) *volens in humilitate & religione Angelorum: quæ non vidit ambulans, fruſtra inflatus ſenſu carnis.* Hæc fulminat Paulus in Hæreſiarchas, noſque in Hypocritas; quoniam hypocriſis & hæreſis, germanæ ſanè ſorores. Vide Gregor. Magn. 15. in *Iob.* c. 6.

Coloſ. 2. 18.

At teſtimonium exponamus. *Nemo vos ſeducat.* Quo? Unde in fraudem lenocinium? *In humilitate & religione Angelorum.* Ex virtutibus inſidiæ? Circumventio ex humilitate? Sanè ſi ficta, uti abutitur hypocrita: igitur utranque imitantur apparenter virtutem; ut aſpicientes inducant in ſeductionem. Hi peſsimi, quoniam improbi, cupiunt videri optimi: & ſubeſt in ſeductionem arte meditatus dolus; quoniam habent ſtolidi apparentià virtutis tamquàm Angelos.

Specie virtutum in ſeductionem embolum.

Nonnulli interpretantur in *religione Angulorum.* Innuitur illorum ſimulatio, at colentium deceptio: etenim molimina hypocriſis, videri in angulis ad ſpeciem orantes. *Humilitas* hìc (iuxta Anſelm.) eſt obedientia ſine diſcretione audientium, ut in præcipitia cæci ſint duces cæcorum. Unde ſeducuntur velamine virtutis humilitatis, in pravam exteriorem oſtentationem virtutis, apparente in angulis oratione, ut moribus corruptiſsimis dicantur Angeli.

Anſelm.

Quæ Angelorum Religio.

Sub religionis titulo (ſubdit Hieronym. d.) *exercentur iniuſta compendia, & honor nominis Chriſtiani fraudem magis facit, quàm patitur: quodque pudet dicere (ſed neceſſe eſt, ut ſaltem ſic erubeſcamus ad noſtrum dedecus) publicè extendentes manus.* Sanè dedecus: quùm ſub religionis titulo, larvà perſonatà humilium; domus orationis in cœlum, fit ſpelunca latronum.

Hieronym.

8 Delicemus ergo textum. Seductio præ ſe fertur ex religione Angelorum. Epiphan. in *Simon. hæreſ.* ait: *Sceleſti homines quod Angelicam puritatem præſumerent.* Caietan. *Nominantes ſe Angelos, nuncios Dei ad inſtitutionem Religionis.* Alapid. *Angelos, ideſt dæmones.* Diſpalecit intuitus hypocritarum, in mulcimen ſive illecebras ſtultorum, ſine diſcretione ſpirituum, ut perſiſtant ex virtutibus in virtutes doloſa retia, & vitiorum fulgentium plicata in ſeductionem embolia: igitur titulo religionis tamquàm Angeli plauſibiles, qui ſentina vitiorum larvati dæmones, proiecti in omnem odibilem turpitudinem, extrinſecùs præferentes Angelicam puritatem.

Epiphã.

Caietan.

Alapid.

Volunt Angeli hypocritæ dici, cùm ſint dæmones larvati.

Procumbunt in cenſum per cuniculos & honorum gloriam; ſufflantes in religioſitatis famam; & quod nequeunt virtutum formà, per hypocriſis ſutelatricis cupiunt ſtudia: ut conciliatà gratia in ſpeciem & velamina virtutum; non ſolum iudicentur perfecti, ſed religione Angelorum: tuncque arctius ſpectatores ſeducunt in fraudem; quoniam perfectionem plaudunt dæmonum ſuperſtitionem. Exponit, *Adverſ. Marcion.* 5. cap. 19. Tertullian. dicens: *Religione Angelorum, viſionibus Angelicis*: clariùs Anaſtaſ. Antiochen. de *Varijs Scriptur. qq.* promit. *Religione Angelorum: Angelorum ſcilicèt profiteri viſiones & phantaſias, religionis prætextu.*

Tertull.

Anaſt Antioc.

Videtur ſtulta fides ſub titulo humilitatis & perfectæ religionis; potiſsimè dum eiuſmodi ſomnia communicantur mulierculis, à quibus fictus creditur ſomnus, quaſi dixiſſet Angelus. Quapropter cùm hypocritæ inveniant, qui deliria quaſi è cœlis miſſa plaudant; in fidei religionis fictæ illecebras, ut Angelicas viſiones narrant cerebri vacui phantaſias: quibus infeliciter ſeducuntur audientes, ſpecioſo velamine religionis: igitur credunt illapſum cœlitùs, quod inſtructum fallaciter à dæmonibus.

Fictione cœleſtiũ viſionum evacuãt cerebrũ mulierculãrum.

9 Hinc à Paulo additur: *Quæ non vidit ambulans fruſtrà inflatus ſenſu carnis.* Angelica viſio in humilitatem provocat: phantaſtica inflat: & ubi ab hypocrita ingeritur dolus, fruſtrà procedit inflatus; quippe ſtolidis ſtolidus narrat, quæ ad ſeductionem nec viderat. Aptè Alapide hìc in cautionem ſubdit: *Uti modò ſagæ ſuis etiam confeſſarijs inexpertis ſubinde imponunt, dum eis ſuas Angelorum viſiones, & melodias fictitiè narrant.*

Alapid.

Nulla ars abſque magiſtro diſcitur: mulierculiſque facillimè imponitur; quia ex ipſis exurgunt magiſtri, loquentes perverſa ad cor, ut abducant diſcipulos poſt ſe: decipientes inanibus verbis per philoſophiam & inanem fallaciam, ſecundum traditiones hominum: etenim ſub Angelorum religione ſubdolè docent, quæ nec dæmones in inferno cogitarent. Hæc eſt hypocritarum religio ſub Angelorum prætextu: *ſenſu carnis*, in religione Genij: *quæ deprimit ſenſum mentis* (ait Anſelmus) *in terrenam atque carnalem intelligentiam.*

Eorum infatuationes.

Anſelm

Non hæc humilitas, ſed ſenſus pravitas; in cuius articulo vagantur cogitationes ſine intellectu: ſiquidem in illicem doli, cogitaverunt conſilia quæ numquàm poterunt ſtabilire: non enim qui iniquitatem operantur, in vijs Numinis ambulaverunt: quo patet hypocritarum religio, ſcilicèt adorare & indulgere Genio.

Totum molimen in carnẽ.

Videntur exponi & præſentes Moliniſtæ, & priſci Gnoſtici: quæ enim in occulto fiunt, turpe eſt & dicere. Efformant enim ad lubitum Genios, tamquàm idola, à cordibus adoranda: & ſub horum criminum corruptione, ſervi Dei ſolicitant appellari. Similes fiunt eis, qui faciunt ea: equidem ut accinit Ioan. Geometra in *Tetraſtichis*:

Auro namque ſimulacra micant;
Cùm pice ſint plena, intuſque cœno.

I. Geometr.

Expandunt libros legis (de cuius argumento ad literam egimus, *Tom. 7. T. 9. n.* 14.) *de quibus ſcrutabantur Gentes ſimilitudinem ſimulacrorum ſuorum.* Non ſecùs veteratorum ſtudia erigentium voluptatis ſimulacra; quippe dum ad vota ſicrorum pingant colores, volunt vivere ut Gentiles. Sine lege nil appetere videntur; ut albis viſceribus in errores ſeducantur: illique ſine lege ita idola ſequuntur, & colunt per hypocriſim; ut cunctis videatur arctè cuſtodire legem.

1. Mach 3. 48.

Deiurantes quaſi virtutem

10 At quomodò? Refert, lamentatur & taxat Benedictus Pater, cuius teſtimonium regeremus in ſeqq. ſæpe. *Pro lege eis eſt deſideriorum voluptas: cùm quicquid putaverint, vel elegerint, hoc dicunt Sanctum; & quod noluerint, hoc putant non licere.* Bugnot. hic modulatur:

S. Sened

Mos quibus inſanis mundo ſe legibus ultrò
Fingere: hæc lex eſt unica, velle ſuum.

Gab. Bugnot.

Non lavare manus obijciunt diſcipulis Salvatoris: verùm deſpiciunt proculcantes mandata legis. Illud diſplicet, hoc placet. Ritus erat traditio ludicra hominum: Lex inviolabile mandatum. Hic ſtylus ſemper veteratorum, ſæculo ſervantium fidem; ut infatuatos perducant in ſeductionem: igitur cùm ſint licita aut illicita, iuxta voluptatum ſimulacra; legem cenſent modum legis in ludibrium, & modum tamquàm legem ex obſervantia aulicorum. Vernaculè. *Porque les eſtà bien; llaman a las ceremonias leyes: tomando para ſi las leyes por ceremonia.* Tradunt ſanguinem iuſtum. Hoc deſiderijs arridet: renuunt intrare in prætorium. Non placet; delicatula prorſum conditio hypocritæ. Ius illi, fas & nefas iuxta nolle & velle. Repidaverunt timore, ubi

Matth. 15. 3.

Eis licitũ quodcumque placitum

Ioann. 18. 28.

Quæ commoda vel incõmoda, licita vel illicita.

non erat timor: odorſi facinus, cuius etiam cogitamen, horror. At cùm iuxta commoda vel incommoda retorqueant depravatam corruptelis voluntatem; obſervarunt tamquàm legem ludicram ſuperſtitionem. Quod putant vel eligunt, hoc dicunt ſanctum: videtur in fraudem magis inextricabile embolium; ut palàm eſſet ex lege expedire; mori Chriſtum: & non ingreſſu in prætorium, fuit hypocritarum ſignum; igitur populus non credebat poſſe frangere legem, qui contrahere renuebant vel levem impuritatem. Haberi uti ſervi Dei voluerunt per exteriora meditata ſtudia; cùm pectora æſtuarent plena dolis & fallacià. De Behemoth, ſive dæmone; ait Iobus: *Protegunt umbræ umbram eius.* Imitantur mendaces patrem mendacij, pro fide artificioſæ ſutelæ; ne amittatur ſanctitatis auctoritas, dum ingerunt cæcis obſcuriores tenebras (quandoquidem umbris ſacrorum, callidè protegunt umbram, & horrorem criminum) inſertis in apparentiam virtutis techis & plicis; quod quidem per umbrarum umbram officium dæmonis: igitur qui virtutem non ſequitur, verbiſque uſque in æthera extollit, dæmonium habet.

Iob. 40. 17.
Illuminant horrorem tenebrarũ, umbrà ſacrorũ.

11 Sæpe euntibus in orationem Paulo & Sila, occurrebat illis arreptitia puella, laudans illorum virtutem, inſtructo encomio per dæmonem. *Puellam habentem ſpiritum Pythonem obviare:::.Hæc clamabat dicens: Iſti homines ſervi Dei Excelſi ſunt; qui annunciant vobis viam ſalutis. Dolens autem Paulus, & converſus Spiritui, dixit: Præcipto tibi in nomine Ieſu-Chriſti exire ab ea, & exijt eadem hora.* Cur ergo diabolus virtutem & ſanctitatem exoſus, ita in illarum conſtruxit honoris plauſus? Callidà ſagaci fraude, aſtu confecto ab hypocriſi: igitur Spiritus cognoſceretur malus, ni ab illo vera plauderetur virtus. Paulus audivit, & illicò doluit: etenim ægrè fertur, intùs habere dæmonem, & laude oſtendere nimis amare virtutem. Dolet, ita virtutem affici dedecore, ſolo nominis ſpecioſo velamine (quo fingitur hypocriticè obſequium, dum pectore latet implacabile odium) ut in vafritiem pellicerentur candida corda, dumtaxàt ſanctitatis apparentià: quandoquidem ſemper hypocritæ ſtudium, ſeſe oſtentare religioſum in ſanctitatis obſequium; & intùs eſſe dæmonium. Laudat, ne expellatur, ſi cognoſcitur: Pauluſque expellit; quippe nimis dolet, inter homines ſolo apparatu virtutum, ut cunctis noceat, converſari dæmonium. Hinc vocatur diabolus *Spiritus Pythonicus*: ſerpentis nimirum, iuxta æſtimationem adorantium Ethnicorum. Ideo Paulus dolet: quippe ſeductionis tædet; dum videt honorari, tamquàm cœleſtis ſpiritus, laudibus veræ virtutis; qui in deceptionem & virus, erat ſpiritus ſerpentis. Cùm magna & abſcondita divinaret, & civitas uti bonum ſpiritum haberet; Paulus dolet. Ab illo ille ſpiritus reprobatur, utpoteque virulentus expellitur: igitur qui virtutis laudibus videbatur ſpiritus, erat diabolus.

Act. 16. à 16.
Quare laudant virtutes?
Illorum ſpiritus, totus infernus.

12 Invenitur crebrò huiuſmodi ſpiritus Pythonicus, ubi hypocriſi virulentà infectum hominis pectus, in quo quis habitat, verbis conſtat. Carpit è zelo Bernardus. *Aut loquetur, aut rumpetur. Coarctat eum ſpiritus uteri ſui. Eſurit & ſitit auditores* (inqnit, de *Grad.Superbiæ*, c.13.n.41.) *quibus ſuas iactitet vanitates: quibus omne quod ſentit, effundat; quibus qualis & quantus ſit, innoteſcat. Quòd ſi de religione agitur; ſtatim viſiones atque ſomnia proferuntur. Deinde laudat ieiunia, commendat vigilias, ſuper omnia, orationes exaltat: de patientia, de humilitate, & de ſingulis virtutibus pleniſſimè, ſed vaniſſime diſputat.* Hic videtur ſpiritus, ſed Pythonicus, loquas, mendax fallax, dicax, qui magna per hypocriſim de religione loquitur, ſed dæmon intùs habetur. Eum aſſumpſit diabolus in oſtentationis pinnaculum, ut ſuadeat mitti deorsùm. Perpropriè conferuntur ſimulatores pharmacopolio, medicaminibus vacuo: in apparatu cuius, pyxides in pegmatibus politæ collocantur, verùm non habent quod dicunt, fallentes oculos intuentium excitatà admiratione, de tanta pharmacorum pretioſitate. Non lemma ineptum: *Nil præter titulum.* Adi Alexandr. Luzon in *Idea Politic.* Ad unguem in hypocriſim, ſed non plenè, plenà fraude: equidem non ſolùm in alabaſtro virtutum, ad oſtentationem nihil habet præter titulum; ſed ubi quæruntur in animæ vulnera medicamina, vaſis inanibus inveniuntur venena. Hypocriſis abditos in perniciem ſenſus gerit, & pulchram turpibus faciem induit. Dicam ex Seneca in *Hippolyt.* à v.912.

Bernar.
Magna & inſignia hypocrita de religione loquitur, ſed dæmon pectore habetur.
Cur conferiur pharmacopolio?
Alex. Luzon.

Ubi vultus ille, & ficta maieſtas,
Atque habitus horrens, priſca & antiqua appetens,
Morumque ſenium triſte, & aſpectu grave?

Senec.

Eſt ſpecies religionis, & vacua vaſa ex religionis ſpecie. Fallit pharmacopolium; dum nil habent, præter titulum.

13 Queritur Hieronym. ubi ſuprà. *Vidi quoſdam* (infit) *qui poſtquam renunciavere ſæculo; veſtimentis dumtaxàt & vocis profeſſione, non rebus; nihil de priſtina converſatione mutarunt.* Gabriel Bugnotius, d.

Hieron.
Bugnot.

Impia gens, tonſura cui, pullataque veſtis
Obſcœnos mores, crimina tetra gerit.

Quid ſpecimen & habitus? Nil, niſi titulus. Nudi iuxta Iob, etiam expoliantur veſtibus. Habet hypocrita veſtem, verùm non veſtem nuptialem. Exterior lucet ornatus; & neſcit, qui miſer & miſerabilis & pauper & cæcus; quòd ſit vel cum veſte nudus.

Iob. 26. 6.
Vel cum veſte, nudus eſt.
Scalig.

Sis ne videaris bonus: hæc vivida lex eſt:

Ait Iul. Cæſar Scaliger, 3. *Epidor.* Reſpondeat virtus, ut ſplendeat habitus. *Ne ſit nomen inane, & crimen immane* (inquit Ambroſius, apud Hugon. Cardinal. in *Apocal.* 3. 17.) *Deifica profeſsio, & diabolica actio: religionis amictus, irreligioſus profectus: gradus excelſus, & deformis exceſſus: ne locutionem ſimulemus columbinam; & vitam habeamus corvinam: ne perfectionem monſtremus ovinam, & ferocitatem habeamus lupinam*; &c. Spiritum, ſed Pythonem in vafritiem, atque mirantium circumſcriptionem, pro amabilis ſanctitatis ſpeciem: qua nudata, qui credebatur ſpiritus, apparet diabolus; & impoſtor adverſus veritatem ſurgit & irruit excandens, uti Lucifer & ſerpens: etenim, ut verbis Horatij utar, d. à v.44.

Ambr.
Monachũ non format habitus.
Horat.

—Videt hunc omnis domus & vicinia tota
Introrſum turpem, ſpecioſum pelle decora.

14 Congregatis Apoſtolis, Magiſter cœleſtis, ut videretur virtutis cum auctoritate præſtantia; *dedit illis poteſtatem ſuper omnia dæmonia.* Matth. *Poteſtatem ſpirituum immundorum.* Spiritus dicuntur, per quos dæmonia notantur. Sit ergo: verùm ſi poteſtate ſuper dæmonio ſàtis promebatur virtutis excellentia; quo intuitu additur *ſuper omnia dæmonia*? Ut notetur ſpiritus hypocriſis, in qua qui iudicantur ſpiritus, latent teterrimi dæmones. Spiritus, ſed ſpiritus Pythonis, flatus ſerpentis, qui facilè non cognoſcitur, nec apparentia diſcernitur; quippequàm ducens in fraudem, conciliat admirationem. Debet ſcire cor, cuius ſpiritus ſit: traditurque poteſtas ſuper dæmonia cuncta, propter dæmonia latentia: etenim quod celebrat hypocriſis uti ſpiritum, non aliud niſi dæmonium. Malignitas eſt plus activa, quò plus ignota. Circumſpectè cavendus eſt dolus; ne ſit diabolus, qui vocatur ſpiritus, ludibrio virtutis, dum oſtentatur ſpecies: igitur ſi huiuſmodi peſte proritant humana pectora; non ſolùm diabolus ſedet, cæterùm omnia dæmonia: dæmonia, & cuncta: ubi enim hypocritæ ſpiritus, ibi profectò totus infernus. Pende: Dedit illis poteſtatem ſuper omnia dæmonia; & ut *languores curarent.* Hypocriſis dirus languor, & ubi latet, nocentior: nectitur poteſtas in dæmones & languores; ut denotetur ſimulationis pravitas: quandoquidem lethalis animæ infirmitas; iudicare virtutis ſpectabilem ſpiritum, & contra illam invenire dæmonium. Exitus declarat quemlibet fatuum. Ut alij ſeducantur; fatuitas prorsùm, decipere ſemetipſum. Vide dicta, *Tom.7. T.1. D.4. à n.3.*

Luc. 9. 1.
Matth. 10. 1.
In hypocritis qui videtur ſpiritus & latens diabolus.
Ubi ſup.

15 Sunt ergo hypocritæ arundinum inſtar, intus vacuæ: ſimulque rubicundi ac pulcherrimi pomi; quippe raró ſine verme. Sunt ſidera errantia, ſine lumine fulgentia; quorum ſplendor radiorum eſt procella tenebrarum. Sunt ſtellæ: fulgent, ſed in nocte ſub caligine. Colores Iridis, in qua dumtaxàt colores. Sine corpore phantaſma, quod tantùm in apparentia: imò ſine anima, quippe ad virtutis propudium; acceperunt in vanum. Multis facti ſunt prodigium. Non novum. Communis veteratorum ſutela. *Sunt enim ſpiritus dæmoniorum facientes ſigna*; ſed falſa: queis cùm ficte fulgere contendunt, fulgore dedecorantur. *Hiſtorici binos vel ternos Soles apparuiſſe, memoriæ tradunt; quia in propinquo ferè à Sole viſuntur, aut quia accedunt ad aliquam ſimilitudinem Solis. Non enim* (retur Seneca, 1. *Natural.* qq. cap. 11.) *totum imitantur, ſed imaginem eius figuramque: cæterùm nihil habent ardoris hebetes ac languidi.* Non ſecus in prodigijs æmuli Solis, ſimulatores virtutis, præſtigijs, tricis & technis: etenim languidi, hebetes ſine calore ad plauſum oſtentationis; dumtaxàt exhibent cerebri frigiditates. *Nulli non viatus & vivo & mortuo* (infit idem, *Epiſt.* 79.) *retulit gratiam; ſi modò illam bonà ſecutus eſt fide: ſi ſe non exornavit & pinxit; ſed idem fuit ſive ex denunciato videbatur, ſive imparatus ac ſubito.* Subitò quidem hypocrita comprehenditur, ſed non compungitur. Vulpes quærit effugium, cæterum non habet exitum. Haud lapidem intactum relinquet, ut vel nigredine opinionem boni nominis conſervet. Prædictum à Ieremia: *Confunderis, erubeſces.* Quid mirum? Nimis.

Similes arundini pomis, Planetis Iridi, & phantaſmati.
Apocal. 16. 14.
Senec.
Meteora Solis, ſed frigidi.
Idem.
Ier. 22. 22.

Fronti nulla fides.

Iovenal 2. v.8.

Quæritur honor, quò & quibus amiſit deteſtabilis error: ſi micat levis rimula favoris (ut ſuccinit Otho Vænius, *Amor.* Emblem. 74.) adinſtar ignis ſtipulis,

Creſcit ſpirantibus auris,
Sumit flamma novas novo ſpiramine vires,

Otho Væn.

DIDASCALIA V.

Mors Martyrum non tam magno animo initur, quam repetitur.

1 EXiguum videretur Martyrum nobile decus, ni victor caderet victi virtute tyrannus; ut eius faſtoſa poteſtate ſuperbia, in ipſa triumphali abſorberetur victoria. *Victoriam amiſit in victoria*: ait Valer. Maxim. de C. Valerio, *lib.8.cap.* 1. n.7. Tacitus, & 2. *Annal.*cap. 7. & 2. *Hiſtor.* cap. 15. *Victoria inſolentes facit, & victoria perit: etiam vecordes*: igitur unde blandimen cogitavit triumphum, acriùs excitatur bellum. Inclytà pectoris inflexibili virtute (ut canit Tragicus in *Hercul.Oeteo*, v.5.& 170.)

Valer. Max.

Tacit.

Vnde Sebaſtiani maius trophæũ

Perfidi Reges iacent, ſævi Tyranni:
Hoc vultu riguit. Commoda cladibus
Magnis magna patent. Nil ſupereſt mali.

Senec.

Ita virtus Sebaſtiani in tyrannum inſolentem, dum tot tormentis hic aggeraret cruciamen: igitur victoria *confuſione confuſus*, & Sebaſtianus confuſione glorioſus. In velitatione ad pugnam Pharſalicam, Primipilus dixit Cæſari: *Hodie me laudabis aut mortuum, aut victorem*: refert in *Cæſar.* Plutarch. In ampliorem gloriam Seſtabiani trophæum: cœlum ſuſcepit laudans mortuum & victorem: equidem tyrannus vecors amiſit victoriam, & Sebaſtianus morte retulit palmam.

Iſai.42. 17.

Plutarc.

2 Ad palum ligatum ſagittis configi iuſsit tyranni furor. Priùs in fidei teſtimonium fecerat amor. Erat eius pectus amoris ſcopus. Poſuit propter cordis flammam, quaſi ſignum ad ſagittam.

Antequã tyranni furor ſagittaverat amor

Non tot Achæmeneis armantur fuſa ſagittis
Spicula; quot noſtro pectore fixit amor.

Oth. Væn. Emb. amor.108.

Quorsùm tot mortibus propoſitum Diocletiani? Ut Sebaſtianus in morte ſentiret mori. Fraudatus eſt deſiderio, quippe quò maior pœna, capitur riſu. Ut fidem ſervaret domino, ab hoſtibus interfecto, ſervus olim factus eſt vindex. Senſerunt hoſtes, & traditus fuit crudelioribus tormentis; quæ amori illius æſtimabilius obſequium, propter domini ſervitium. Sil. Ital. 1. de *Bell. Punic.*à v.172.

Ictibus innumeris lacerum ſcindentia corpus
Conclamat, Dominique crucem clamore repoſcit.

Sil. Ital.

Innumeris ſagittarum ictibus exoptatur etiam crux? Quippini? Domini eſt. Et quod gravius tormentum, vulnerato toto corpore gaudium. *Ultus dominum* (inquit, 44. *Hiſtor.* Iuſtin.) *inter tormenta riſu exultavit, ſerenàque lætitià crudelitatem torquentium vicit.* Vicit victus, & riſu cordis confirmatus eſt triumphus.

Quare tormenta ridet?

Iuſtin.

3 Confinxit ignara huius virtutis Gentilitas, in una plures victorias. *Ærea ſtatua, ſagittis confixa*: ait Pauſan. *cap.* 21. Utquid ſagittæ, ſi figuntur in ære? Ut per ſimulacrum, conſtet præſtanti virtute, quanta in animato corpore; uti viſum in paſſione Sebaſtiani: igitur tanta conſtantia pectoris (etiam referti ſagittis) ut perſiſteret ſentiens, immotus ad tela; quaſi ſagittæ vibratæ figerentur in ſtatua. Caro ænea non eſt: fortem ex fragili format cor: dicente originem roboris Sebaſtiani pectore; ſcatente ſagittarum ſpiculis per mille vulnera: ex quibus tanta conſtantia; ut videretur ſtatua telis confixa: igitur ridebat ictus in carne præſtantiſsimà virtute, tamquam qui validi reciperentur in ære. Fortis, *Sapiens* (inquit Seneca, de *Conſtant.* cap.10.) *à nullo contemnitur: magnitudinem ſuam novit. Omnes has, quas non miſerias animorum, ſed moleſtias dixerim; non ſolum vincit, ſed nec ſentit quidem. Hæc non nego ſentire ſapientem: nec enim lapidis illi duritiam, ferrique aſſerimus. Nulla virtus eſt, quæ non ſentias perpeti.* Sentit & non ſentit, dum virtutem pectoris adverſus tela vibrata promit: verùm oſtendit magnitudinem animi, impacto è tyrannidis pharetra continuo vulnere: etenim ita ad ſpicula ſenſitivus immobilis permanet; quaſi caro acumina ſagittarum non ſentiret.

Pauſan.

Nec ſentiendo ſentit.

Senec.

Valet in duris patiens conſiſtere rebus,

Souſ. in Iob.6.

Quo rutilat virtus: quondoquidem ad ſenſum in ſenſu vulnerum, quaſi caro extitiſſet ferrum vel ſaxum.

4 *Non ictibus fatigatur* (dicit Ioſeph. in *Imper. ration.* de Eleazaro, fremente ex ludibrio pœnarum, Principe truculento) *quaſi per quietem ſomnumque acerbiſsima quæquæ pateretur. Securus igitur & intrepidus pœnarum ferebat dolores.* Dolet Martyr vel non ſentit? Sentiens dolet: & nimis, undique vulnerato corpore, quia non eſt virtus, inſenſibilem pati. Unde ipſe profert: *Duros corporis ſuſtineo dolores.* Si dura vulnera in dirum dolorem; quomodò illata quaſi per ſomnum & quietem? Virtutis eſt, ac pectoris magnanimitas, illatas acriter deſpicientis plagas. Tendit per ardua

Ioſeph.

2 Mach 6.30.

Ictus telorum ſuſcipit, quaſi dormiret.

dua virtus, vulneribus gaudet pectus. Quicquid dolorem paſcit, haud arbitratur acerbitatem doloris. Libet ire per enſes: vulneraque Martyr patitur, quaſi dormiret; quippe ſingularis virtus in doloribus requieſcit. Intelligitur modò quod humana ut inexperta non capiebat intellectio. *Elevare, elevare, conſurge Ieruſalem* (illi dicitur à Propheta Evangelico, poſtquàm tot cladibus tyranni Nabuchi pertranſivit perſecutio) *bibiſti de manu Domini calicem iræ eius uſque ad fundum ſoporis.* Septuagint. *Calicem ſoporis.* Theodotion, *Lacerationis ex vulneribus.* Rab. Salom. *Calicem ſtuporis.* Lectiones ſanè variæ, ſed in eadem ſignificatione. Martyr crudelia à tyrannis patitur: calixque Domini dicitur; quoniam ſuorum militum in pugna fidei permittit cruciatus, ut vulneribus impactis illorum coruſcet virtus. Fervet in certamine mentis emotæ furor: & ſignatur uti ſopor; quippe Martyr carne vulneribus dolet, ſed virtus acerbitatem patitur quaſi dormiret: dormit ubi propter Numen ſubit dolorem; etenim in cruciatu pro fide reperit requiem. Laceratur caro multiplicatis vulneribus, quippe furoris ſcopus: & eſt quies? Nonne ſentit? Lacerata utique dolet: & ubi diriſsimus ex vulneribus dolor, ſignatur cum ſoporatione ſtupor; quia ſtupor humanæ ſenſitivæ ac dolentis conditionis (dum ſubijcitur tormentis) quòd ubi vehementiùs trucidata aut ſaucia dolet, virtute vulnera ſentiat, quaſi nihil ex vulneribus ſentiret. Surgat ergo Ieruſalem & erigatur; ubi ſiccine per filios milites vulneratos extollitur: ſiquidem gloria Eccleſiæ in furoris tyrannorum perſecutione; quòd ubi cæteri ſentiunt & cruciamen & tormentum, virtute qui athletæ dicant requiem, ſoporem & gaudium. *Eſſe ſub ſentibus* (Vatabl. *Sub ſpiculis*) *delitias computabant, & inter huiuſcemodi lætabantur.* Mediolanum exultet, dum Sebaſtianum gaudibundum vulneribus aſpicit: equidem ſilva telorum ſub ſpiculis exultat, & eſſe ſub ſagittis delitias computat. Gaudet, dum ſine dolore dolet;

Iſai.51. 17.

Calix amaritudinis, illius virtuti ſoporis

Iob.30. 7.

Illi ſagittę delitię

Haud alio vultu, quam ſi conviva iaceret.

Ovid.9. *Metam.* fab. 3.

5 Igitur glorioſe Sebaſtianus in cœlum ſurgat. Quis utique elevat? Sagittæ, his enim inſunt in velocitatem pennæ. *Extulerunt te pennis, dum intulerunt pœnas*: dicit Thom. Tamaius in eius *Encom.* Nec mirum, pœnæ uti pennæ ſublevant in volatum. Sebaſtianum iuvit, quod in dolorem eius Diocletianus cogitavit: etenim ornavit alis, ubi corporis pondus induit ſagittis. Sic enim in culmem pervenit Olympi, à ſagitta volante.

Tamai.

Et in æthera pennę.

——— Citius volucrique ſagittà
A terra fugit, & portu ſe condidit alto.

Virg.5. *Æneid.* v.242.

Accidit Sebaſtiano amore divino ſaucio, quod Davidi eius ſagittis percuſſo. Veniunt iam ſpontè ſagittæ, quæ nudo recipiuntur in pectore: & hamatas icti dicunt; quippe cum cordibus etiam corpora trahunt. Hinc vibranti ſpicula dixit: *Sagittæ tuæ infixæ ſunt mihi; & confirmaſti ſuper me manum tuam.* Vulnus innuit quantum valerent ſagittæ, dum non ſanitas in carne; cùm cœlum cuperet, & alas quibus aſcendere poſſet. *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo & requieſcam? Ecce elongavi fugiens.* Si longè & altè ductus, iam volat. Unde ergo pennas in volatum optabat? Si alas percupit; & longè volat; iam habet. Quis igitur dedit? Qui vulneribus corpus undique percuſsit, ſuper illud confirmans amoris manum; ut effectu conſtaret unde vibratum ſingulare, dulce telum: nectiturque verſus Empireum aſcenſus, atque ſpiculorum ictus; quippequàm amor qui carni infixit ſagittas, ut aſcenderet ſursùm præſtitit alas. *Non eſt figura hominis in carne mea*: Maluenda legit. Et Sebaſtianus ſic corpus ligatus ad lignum vidit. Haud in illo figura hominis, tot fixis ſagittis; & manus Domini ſuper illum ut aſcenderet in cœlum; quoniam pennis ſagittarum, queis confixit, uſque in æthera elevavit.

Pſ.37.3

Pſal.54. 7. & 8.

Quis elevatur in ſublime.

Maluẽd.

6 *Cuſpides ceſſerunt in radios, & ut ſagitta cœleſtis pulchriùs tuo tu nites in Sagittario*: infit Tamaius, d. *Radij lucidà tei vibrant*: dicit Pier. Valer. *lib.*42. *cap.* 6. In cœlo ſplendens coruſcat flamma, quæ in terra formarunt vulnera: quibus ſaucium floret validum pectus; quia ſagittarum cuſpides iurè ceſſerunt in radios. De Sagitta cœleſti quàm plura finxere Aſtrologi. Diccmus in *Ephemer. Iſagog. Septembr.* à n.26. Natal. Comes, 4. *Mythologi.* cap.12. aſtruit, *Veneno imbuta ſaggità ex Dracone, ſeu Hydrà Lernea ictum Chironem lethaliter fuiſſe: converſumque in illud ſignum cæleſte; quod nunc etiam à ſagitta nomen retinet; atque ita formatur, ut videatur, ſagittam è vulnere extractam oſtentare; cum eximiè fuiſſet pius, telumque dirigit contra Draconem.* Unde Germanic. Cæſar, in *Arat. Phœnomen.* n.25. ſuccinit:

Tamai.

Fabula conſtellationis Sagittæ.

Nat. Cõ.

Latera Centauri rapidà diſtincta ſagittà.

Addit & Hygin. *lib.*3. *n.*14. *Sagitta oritur cum Scorpione.* Conſule etiam Aratum. Obiter

Cæſ. Germ.

Hygin.

ter in noſtrum commodum exponendum uti verum, in ſphæra cœleſti commentitium ſimulacrum: igitur qui ſagittis ſerpentini, tyrannici furoris ferè uſque in mortem percuſſus; elevatus in cœlum colitur uti Centaurus; educens è vulneribus ſagittam contra Draconem: quoniam è cœlo à mundo venenato avertit virtute peſtem. Sagitta ſignum ſalutis exponitur. *Sagitta ſalutis.* Etiam per illam ſignatur virulenta lues. *Violenta ſagitta.* Adi Pier.Valer.42. *cap.*17. qui *cap.* 14. præmittit: *Si duæ ſagittæ, quarum cuſpides altera ad alterius pinnas vicìſsim convertantur; præſentaneæ contrarietatis ſignum eſſe.* Vagatur & gliſcit ſæpe ſagitta venenata aëris corrupti, ex quo mortalium horror. Fit contradictio potentior: equidem influxu Sebaſtiani ſagittæ (ſanitate è cœlo in ſerpentis expulſionem deſcendente) benevolis ſalutaribus radijs, elucet peſtis peſtis, atque mors mortis,

Cur Sebaſtianus peſtis expulſor? — 4. Reg. 13.17. — Iob. 34. 6. — Pier. Valer.

—— *Finem ſpecie cœleſti reſumptà;*
Luctibus imponat, venitque ſalutifer Orbi.

Ovi. 15. Metam. fab. 50.

Scorpius oritur, ſed Sagittarius perſequitur. Eſt medicina prompta; ſi conſtellatio influxerit venenata. Non mirum, coram Sebaſtiani imagine; ſi depelleretur peſtis: virtus de illo exibat & ſanabat omnes. Modò inpræfatum articulum.

7 *Sidereas ſagittas* vocat quò ſuprà Tamaius; quorum *cuſpides* evectæ in cœlos, *ceſſerunt in radios*, copioſà mirabili luce; quippe ut ſtellæ novæ & ſplendor Firmamenti. Hoc cogitarunt nonnulli Rabbinorum fuiſſe cælatum tot vulneribus, quot concavitatibus; ut in illis locarentur in ſplendorem ſtellæ, & earum Firmamentum rutilaret ſplendore. *Ornavit Firmamentum diſtinctis cælaturis*: ait Anaſtaſ. Sinaita, in *Hexaemer.* lib. 2. Ex Sebaſtiani certamine iam videtur cœlum novum; & novo ornatu inſertatum Firmamentum. Novum videbatur, quòd vulnera commutarentur in aſtra; & lucerent ſagittæ in vulnerum concavitate. Eſt vera imago, quæ dumtaxàt apparebat ſimilitudo; cùm intueamur ictus in ſilice, ſcintillas fulgentiſsimas educere. Propter inſignem in corporis fragilitate virtutem, dat Deus *pro terra ſilicem.* Vulnerum ex percuſsione inſenſibilis dolor circumſpicitur ſplendor. Ita coruſcāt multiplicia vulnera, quæ in Sebaſtiani corpore fecerunt tela: igitur quæ alterutrinque percuſſerunt corpus; in Martyris gloriam plenè ceſſerunt in radios: quas tyrannus miſit & aſpexit dirus in carne ſagittas, veneratione fideles vident ut in Firmamento ſagittas; verùm ſidereas. Sagittæ inſtrumenta fuerunt iræ: modò fulgent inſignia collatæ à Numine gloriæ. Stellæ ſagittæ ſtabunt ibi, uti ſtellæ? Contra Siſaram de cœlo dimicatum eſt. *Stellæ manentes* pugnarunt in ordine & curſu ſuo. Ut Sebaſtianus denuò reſtituatur Diocletiani theatro; cum Sagitta ſtellæ cadent de cœlo.

Sinait. *Vulnera mutata in aſtra.* — Iob. 22. 24. — Iudic. 5. 20.

8 Lictorum opinione, fato functum, lethaliter ſaucium, pietas Irenes invenit miraculo ſemivivum; cuius ſolicitudo priſtinæ valetudini Sebaſtianum reſtituit; quo valuit, ut prævaleret: igitur obvians truci, inſolenti, ac procaci Imperatori, detulit, arceſsit & ſimul appellavit de tyrannide. Diocletianus obſtupuit, cùm mortuum crederet: tandiuque virgis Martyrem cædi iuſsit; donec vitam inter dolores deponeret. Æmulus Ducis factus eſt miles. Illi dixerunt Diſcipuli, cùm decreviſſet in Iudæam iterùm abire: *Nunc quærebant te Iudæi lapidare; & iterùm vadis illuc?* Tormentis gaudet, illis quieſcit, & quia diligit; ſciens omnia quæ ventura erant ſuper ſe proceſsit. Securus eſt de victoria, à quo denuò ſolicitatur pugna. Iccircò dixit illis ante certaminis ardui ingreſſum: *Ego vici mundum.* Eſt incohata victoria, verum necdum conſummata: valuit in triumphum, ſed non ad votum prævaluit; donec iterum in extrema pugna vinceret: & in nobile trophæum, præberet vita amiſſa, quamvis ultrò, teſtimonium. Vide dicta *Tom.* 2. *T.*10. *D.*8. *à n.*10. *&* 7. *T.*4. *D.*2. *à num.*17. Sebaſtianus in pugna exijt ſagittis confoſſus: & iterum vadit illuc? Bonum certamen certaverat, vicerat; ſed curſum non conſummaverat: illique & eius virtuti non viſa in pugna victoria; donec in conſtantiæ ſignum, etiam depoſita vita. Ni denuò novo certamine vinceret, non viciſſe iudicaret. Servavit fidem & quærebat in fulcrum novum certamen; & quia fides nequaquàm evaneſceret, & tyrannus nullatenus exultaret: equidem adhuc erat in pectore virtus; licèt iaceret telis acutis confoſſus.

Amor Chriſti probatur in bonis ... ciatur. — Ioann. 11. 8. — Cap. 16. 33. — *Quare Sebaſtianus vel dum telis percutitur, in certamen revertitur?*

9 Inſigne epigramma inter Græca, in noſtrum propoſitum, legitur à Crinagora confectum, de quodam Italo cohortis Signifero, poſtquàm telorum ictibus iacuit. Sic ergo accinit *lib.* 1. *Antholog.* cap. 5. num.21.

Martis bellator Italus prope flumina Rheni
Succumbens ex multis ſemimortuus iaculis,
Aquilam ſignum direptum exercitus ut vidit
ab hoſtibus;
Iterùm bello perpetratà exiluit ex morte:
Interſicienſque qui id portabat, ſuis recuperavit Ducibus;
Et ſolus inſuperabilis cōſecutus eſt mortē.

Crinag.

Fortis ſanè, ſed non ſolus, quippe in Sebaſtiano veræ vexillij fidei vera virtus. Portabat ſignum Dei vivi, Salvatoris crucem; cohortando comilitones in certamen. Uti transfugam Imperator aſpexit, & aciem totam adverſus anteſignanum impulit; cuius ſagittis tranſadactus iacuit. Vexillum Diocletianus, ut illuderet, levavit à terra: vidit qui præ cuſpidibus habebat propè lumina clauſa; & ſtatim qui moribundus proſiluit, ac vexillum è manibus fortiter abſtulit; donec crebris ictibus ſuccubuit: etenim haud fidei relicturus Salvatoris vexillum, quandiù vitalem poſsideret halitum: imò ſi arreptum ab inimicis videret; ex ipſa morte prælīaturus ſurgeret. Imperator videns Sebaſtianum, obſtupuit; qui quidem vel ſagittatus non erat mortuus à corde: equidem etiam iaculis ſuccumbens, ne in inimici poteſtate ſacra videretur crux, in reſtitutionem eius *ſe levavit ſuper ſe.*

In defenſionē fidei & moribundus ſurrexit. — Thren 3. 28.

10 Haud valuit imperator arguentis videre faciem, licèt in Sebaſtianum multa probra iactaſſet ad horrorem. Olim fictum quendam Phrygem in mortuum iciſſe Aiacem. Ille è tumulo ſurrexit, & fugax hoſtis obmutuit, ex ſurgentis horrore non audens faciem videre.

Aiax non amplius ſuſtinuit, ſed reclamavit
è morte;
Expectare autē nō ſuſtinuit vivus mortuū.

Ubi ſup. — *Tyrannus illū fugit.*

Ubi ſuprà *n.*22. Sebaſtianus poſtquàm iacuerat telis confixus, à Diocletiano exprobratus; illi apparuit, primò ſtupuit. Ut aſpexit, duci iuſsit: igitur ſurgens quaſi è tumulo tantam incuſsit formidinem; ut nec auderet eius reſpicere faciem. Martem Sebaſtianus in pectore habebat.

——*Tot vulnera belli*
Solus obit, denſamq̃ ferens in pectore ſilvā.

Lucan. 6. v. 204

At cur Martem? Intimè ſauciatum in prælio Troiano; ut convaluit ex vulnere, redivit prælio, inijtque mirabili virtute certamen, ut amicis & inimicis manifeſtaret virtutem. Adi Homer.5. *Iliad.* à v. 862. & Natal.Comit.2.*Mytholog.*cap.7. Luculenter in articulum Seneca, de *Provid.* cap.2. *Non enim* (ait) *tam magno animo mors initur, quàm repetitur. Quidni libenter expectaren Dij alumnum ſuum, tan claro ac memorabili exitu evadentem? Mors illos conſecrat, quorum exitum & qui timent, laudant.* Sebaſtianus quit præ vulneribus decertare nequiverat, arte à certamine receſſerat; ut iterùm confirmatà valetudine pugnaret, non ut recederet. Amicis & inimicis dicit, in cuius pectore Mars; *Vado & venio ad vos.* Quieſco poſt pugnam, in certamen revertar, ut requieſcam.

Cur Marti cōfertur. — Senec. — *Mortem iterat.* — Ioann. 14. 28.

11 Dicit ancipitem tractum Pſalmographus, dum exponitur vexillum columbæ, cuius pennæ deargentatæ, & poſteriora eius in pallore auri. Unde præmittit: *Si dormiatis inter medios cleros.* Genebrard. *Inter pericula: inter medias cruces.* Quid? Quieſcere? Planè dormire. Petit ardua virtus, & apparet in adverſis validum pectus: igitur cum pro labore laboret; quieſcit & dormit, ſi invenerit. Hæc gloria ſolius Sebaſtiani inflexibilis, conſtantis roboris, dormientis inter medias cruces. Sagittis confingi, crux fuerat: alia reſtabat. Alijs in curſum atque gloriam datur certaminis crux. Sebaſtianos inter cruces medius eſt, ut poſſit maximo labore quieſcere, & in palmam pervenire: igitur ſuperatà ſagittarum morte crucis; reſtabat acrius certamen ad crucem mortis: quippe magni animi maior gloria, ubi mors in victoriam repetita. Viſus modò tyrannus Amor, cuius modus in tyrannidem, & ars videnda hic *Tautolog.* 8. *D.* 1. *n.* 12. Retorqueam in propoſitum Virgilium, qui 12. *Æneid.* à v. 421. ſuccinit pro novo icti ſagittis certamine:

Pſalm. 67. 14. — *Gaudet quia pro fide certamen invenit.* — *Quo inter duplicem crucem poſitus?*

—— *Subitòque omnis de corpore fugit*
Quippe dolor: omnis ſtetit imo vulnere
ſanguis.
Iamque ſecuta manum, nullo cogente, ſagitta
Excidit, atq̃ nove rediere in priſtina vires.
Conclamat, primuſque animos accendit in
hoſtes.
Non hæc humanis, opibus; non arte magiſtrà
Proveniunt: neque (medicorum) *dextera*
ſervat:
Maior agit Deus, atque opera ad maiora
remittit.
Ille avidus pugnæ, &c.

Virgil.

12 *Ecce* (ait Salvator) *aſcendimus Ieroſolymam; & conſummabuntur omnia.* Iam enim diverſis certaminibus pugna incoata. Reſtat plena ex inimicis victoria. *Ecce* (ait hic ex Chryſoſtomo, Gisland. *dub.* 2.) *conſtantiæ ſermo.* Haud repulſus cadit palmà: gaudet continuata pugnà, donec in triumphum conſumentur omnia. Vernaculè: *Vuelve à la batalla; aunque ſabe, que lleva jugada la vida.* Ecce inclytum Sebaſtianum: ſcrutemur quomodò ſecutus Salvatoris exemplum. Plauduntur & cum admiratione præ pulchritudine Aves, maximoperèque Phœniz; ſed homines à Domino habentur pluris. *Multis paſſeribus anti-*

Luc. 18. 31. — Giſlād. — Matth. 10. 13. — Tertul.

antiſtare nos Dominus pronunciavit. Si non & Phœnicibus, nihil magnum: inquit de *Reſurrect. Carnis*, cap. 13. Tertull. uti vidimus ſæpe. Quare ſi non Phœnicum, minima gloria, cum Aquila inter aves extollatur ut regina?

——*Regia ſuſtinet ales.*

Ovid. & Claud.

Stant bellatrices aquilæ, ſævique dracones.

Unde in ſingularitatem Phœnicis, & quo intuitu redigenda tota felicitas hominis? Ex Sebaſtiani triumpho præ ſe fertur antelatio. Aquila fortiter in certamine pugnat, & quouſque vitam pro virtute deponat: cæterùm poſt mortem vitam non habet, ut iterum ipſa pugnet. Phœnix etiam poſt extinctam flammis vitam, ſingulari virtute vitæ retinet flammam. *Seipſum lubenter funerans, renovat, natali fine decedens, atque ſuccedens iterùm Phœnix* (ſubdit Tertullian.)

Idem.

Ubi iam nemo, iterùm ipſe: qui non iam, alius idem, de morte, de funere. Quid ſignatius & expreſsius in Sebaſtiani cauſam, propter inſignem ſingularem victoriam?

Metaphr.

Me ſuſcitavit Dominus, ò Imperator! dixit ſtupenti Diocletiano; ut ex Metaphraſte aſſerit Lipom. p. 2. pag. 115. Dormierat illuduſque amoris plagis, dulci ſagittarum telo; & evigilat quaſi vir qui ſuſcitatur à ſomno ſuo. Videbatur illo ſuccumbente Imperatori, triumphaſſe. Mentita eſt iniquitas ſibi. In novum certamen; *qui non iam, alius idem.* Decedens renovat halitum, ne tyrannus erigat vanè trophæum: igitur ſi neceſſaria pugna; etiam corpore iacente, erigetur Sebaſtianus tam *de morte*, quàm *de funere.* Hac enim de cauſa invenitur vivus, dum quæritur ſepeliendus. In novum certamen eius neceſſaria virtus: equidem ſi ipſe qui reſtiterat ſublatus, quoniam ſagittis perfoſſus; immeritò gloriatur tyranus de corona victoriæ: Sebaſtianus enim in pugnam ut Phœnix *iterùm ipſe.* Deceſsit in natalem: ſeipſum pro ſe ſuffecit; ut inexpugnabilem demonſtraret virtutem: quod quidem iurè miratur ubi in pugnam & vitam mors ſtudiosè repetitur. Ne tyranno pax aliquando aut aliquomodò ſit.

Quidni ſimilis in pugna aquilæ, ſed Phœnici?

Mortem aliquid ultra eſt.

Senec. *Agamē.* v. 991.

13 Patet non aquilæ pugnacis virtute, ſed conditione Phœnicis, eſſe ſpecimen excellentis magnitudinis hominis. Hinc in fidei teſtibus, vulneribus & torſionibus præbentibus teſtimonium, ni Phœnicibus præſtiterint, nihil magnum; quoniam magnitudo virtutis elucet (ſi bellum inſtet) dum armis ipſamet vita extincta, in victorem inflatum revocet arma: & ubi certamine invenit ut Phœnix mortem; qui idem iam alius, indicat novum certamen. Dialecto noſtra: *Sobreſale en el valor la grandeza, en que la miſma vida perdida, para volver à vencer, preſente al tyrano la batalla.* In ſplendorem virtutis mirabilis, obiecta fax ſeu lucerna, cum lemmate: *Dux mortes* Adi Pier. Valer. *lib.* 46. *cap.* 13. Aptè non enim eſſet, quamvis virtus, magna; ni poſt mortem aliter ipſa ad pugnam reſtaret vita: igitur ſi vità deficiente præ vulneribus hoſtis proſternitur, virtus in morte ad certamina non moritur. *Nova bella* in Sebaſtiano *elegit Dominus.* Novum præliandi genus, dum nova pectoris virtus: equidem in admirationem novum; quòd vita ictu telorum periret, & ipſa in novum conflictum ad victoriam permaneret. In duplicem mortem fax vitæ ſplendore rutilabat; quippequàm.

Pier. Valer. *Cur lucernæ iſ ſertur?*

Iudit. 5. 8.

Ovid.

Victor cùm cecidiſſet erat.

Ubi ſævi dracones irruant aquilinæ acies: ubi ſplendor virtutis, aquila conditione Phœnicis; ut repetitione certaminum ab Eccleſia venena repellantur draconum: etenim ut N. athletæ præluceret ut Phœnicis mirabilis magnitudo; cœlum (dicam ex Lucano, 4. *Pharſalic. bell.* à v. 598.

Lucan.

——*Tam vaſtas cumulavit munere vires:*
Iam defecta vigēt renovato robore membra.

Poſt vitam, pugnà conſummatà ad propoſitam victoriam, nullus martyrum redit ad pugnam, cùm iam non ſit: Sebaſtianus vel ſuccumbens animis & pectore ſuprà eſt. Ubi iam nemo, iterùm ipſe. Ubi nemo, denuò triumphavit de morte. Phœnix floret prodigioſus & præclarus, in quo ſuſcitatur ut pugnet inclyta virtus: equidem in conſummandam victoriam, placuit virtuti denuò amittere vitam.

Non ſemel morte tyrannum vicit.

Pluthar

14 Præſtat, *ſemel mortem oppetere, quàm ſemper formidare*: inquiebat Cæſar apud Plutarch. in eo. Non eſt ſpecies virtutis, quæ tantùm ſpecies. Non eſt, ubi mors initur; ſed dum repetitur. Unde Senec. d. ſubdit: *Non fuit Dijs immortalibus ſatis, expectare Catonem ſemel.* Scrutemur iſthoc nobile certamen. Nihil in Iobi corpore niſi vulnus; & ſingula vulnera (ſi quibant diſtingui ab oculis) proveniebant è ſaggitis. *Sagittæ Domini in me ſunt*, infit: *Totum eius corpus unum vulnus. Oportebat enim totum, ac per totum coronari luctatorem, à pedibus uſque ad caput. Salutare vulnus! Sagittæ infixæ ſunt* (ait Chryſoſtom. *Homil.* 3. & 4.) *at quales ſagittæ? Sagittæ pietatis, ſagittæ iuſtitiæ, ſagittæ zeli virtutis. His divinis ſagittis anima vulneratur: ſed ubi totum corpus telis dæmonis percutitur.*

Senec.

Iob. 6. 4

Chryſoſt.

Cap. 29. 18.

tur. Quid tunc Iob? *Dicebant* (inquit) *in nidulo meo moriar, & ſicut palma multiplicabo dies.* Alij ut vidimus, *Tautolog.* 3. *D.* 5. *n.* 22. legunt: *Sicut Phœnix.* Moriar, Vivam. Moriar, ut avis, *in nidulo.* Vivam *ut Phœnix*, ex occaſu. Perpende. Si in dolorum refrigerium & ſolatium exoptat obitum; dum vità fruitur, fruſtratur remedium. Satagat ergo quod ictum ſagittis corpus videatur cadaver: verùm mori in nidulo tamquàm Phœnix? Meritò quidem, ut pectoris præ ſe ferat ſpectabilem virtutem. Arbitratur puſillanimitas, cor ictibus telorum cedere, ni revertatur in conflictum & luctam commiſſæ pugnæ. Si redit etiam ſaucium in certamen; liquet, vel telis non defeciſſe virtutem. Mori ſagittarum turbine; erat tantum, ſemel mori: vitamque inter ſagittas deſiderat uti Phœnicem; ut virtute non extinctà poſsit redire in certamen. Ulteriùs. Dæmoni videbatur, quòd deficeret virtus, modò ſagittis impleret corpus. Ut totam vulnere ſuper vulnus vomeret iram, totam ſpiculis evacuavit pharetram: athletaque habens vitam ex morte, ut Phœnix ſurgit è funere aliter ipſe, moriens in nidulo; quoniam vel corpore toto ſaucio, pugnavit denuò. Prætereà. Dies athletæ eſt dies certaminis, uti aquilæ pugnacis & bellatricis; ut quantumvis per cæcum, penetrabile vulnus, aſcendat in certaminis palmam, & apprehendat fructus eius. Iam Iobus refertus telis præ dolore iacebat; verùm denuò ſiccine pugnare deſiderat: & ut moriatur, non aquilæ intendit dexteritatem, ſed Phœnicis ſingularem novàm pectoris virtutem; quoniam ſi dies unus ſat ad palmam ex fervore certaminis, ad certamen profectò Phœnix multiplicat dies: igitur ut proſternat penitùs hoſtem, in extremo conflictu apparet alius & idem.

Nobilitas eius certaminis & trophæi.

Cur in certamine confertur papilioni?

15 Papilionis in Sebaſtiano elucet conditio & ſolicitudo: de cuius conatu in ſplendorem luminis, verſus fulgorem volantis; apud Picinell. in *Mund. ſimbol.* lib. 8. n. 257. eſt epigraphe: *Audacter provocat.* Lumen explorat, & gyrat & circumgyrat; quaſi adinſtar aquilæ radios poſſet exhaurire oculis, vel incendi inſtar Phœnicis. Volat in flammam, ſed percutitur & intimè ignitis telis, ex ſplendore vibratis ſagittis, & cadit: cæterùm non cedit. Damnum experitur, ſed pugnam enixè ſequitur. Ardor flammæ ablegat, ſe papilio audacter provocat; quippe licèt videatur telis vitam amiſiſſe, inſtat fortiter certamini; & denuò vel cruciatibus in hoſtem provocans pugnat, quouſque in extremis cadens vitam deponat. Qui circumvolitat cruciatus ad ignes,

Num quid naturam papilionis habet?

Otho Ven. Emb. 58

Utique: conſtat ex Sebaſtiani certamine. Fulgore imperatoriæ poteſtatis, erat in aula Dux & Princeps primæ cohortis. Quem conceperat in Diocletiano maieſtatis fulgorem, adverſus Chriſticolas invenit ignem urentem. Circumgyrat, non rationem, ſed furoris flammam eſſe Imperatori demonſtrat. Magis maieſtas excandet, & à ſe Sebaſtianum fulmine, non radijs pellit, ſagittis configi iubet, athleta cadit. At cæſus cedit? an ceſſat? In fulmina ut ſagittas mittentem audacter pugnat, & ac certamen provocat; quin ſuccumberet cadens: quandoquidem prælians aquila, ſed inſtar Phœnicis; qui ab hoſte indicatus iam nemo (quaſi telis ſine ſpiritu) ut vinceret denuò novo certamine; de funere, de morte, apparuit iterùm alius & ipſe. In nidulo moriens, multiplicavit dies, parta per victoriam palmà, & cum virtutis mirabili gloria: equidem hoſtem provocavit, quouſque ſpiritum depoſuit: & primùm cadens, ſed non moriens ſagittis ſuccubuit; ut poſſet iterum inimicum ſuperare. *Ignis* (ait Senec. *Ad Marciam*, cap. 23.) *quo clariùs fulſit, citiùs extinguitur. Quicquid ad ſummum pervenit, ad exitum properat. Eripit ſe aufertque ex oculis perfecta virtus.* Sebaſtianus manebat in terra, donec obtenta victoria: hoſte proſtrato, evolavit ad aſtra. Ut illum ſubiugaret (canit Mell. Souſ. de *Paſsion.* v. 442.)

Tyrannum ad pugnam provocat & pugnā renovat.

Senec.

——*Exhauſtas quoties in priſtina vires*
Reſtituit?

Souſ.

DIDASCALIA VI.

Probatio dilectïonis, exhibitio eſt operis.

1 DEſcripturo Ieſu amorem, ipſe ſui tantum poteſt exhibere imaginem: igitur ſi priuſquàm hora veniret, ſic dilexit, ut ſagittis ignitis flagraret ictus, quæ & quanta pectoris æſtuantis flamma, quando venit hora eius? Dilexit cum dilexit; dum ſigna eximiæ dilectionis oſtendit. Ingens planè cordis flamma: ſed quæ ſigna? *Charitas* (ait Bernard. ſerm. de *Paſsion. Domin.* n. 5.) *tam inæſtimabilis, humilitas tam admirabilis, patientia tam inſuperabilis.* Charitas, dum dilexit alienos, quaſi dilexiſſet ſuos. Humilitas, quum dominus & conditor rerum cœpit lavare pe-

Bernard.

Signa Chriſti dilectionis.